image
not
available

5-2

MUSEUM
ODESCALCHUM.

C – 24

MUSEUM
ODESCALCHUM,
SIVE
THESAURUS
ANTIQUARUM GEMMARUM

CUM IMAGINIBUS IN IISDEM INSCULPTIS, ET EX IISDEM EXSCULPTIS;
QUÆ A SERENISSIMA CHRISTINA SUECORUM REGINA COLLECTÆ
IN MUSEO ODESCALCHO ADSERVANTUR,

ET A PETRO SANCTE BARTOLO

QUONDAM INCISÆ,

NUNC PRIMUM IN LUCEM PROFERUNTUR.

ACCESSERUNT ÆREA DEORUM, AC DEARUM IDOLA, MARMOREA ITEM ANAGLYPHA
MONUMENTAQUE ALIA PLURA, QUIBUS OMNIBUS EXPLANATIONES
UNA CUM INDICIBUS LOCUPLETISSIMIS ADJECTÆ SUNT.

TOMUS SECUNDUS.



ROMÆ MDCCLII.
SUMPTIBUS VENANTII MONALDINI BIBLIOPOLÆ IN VIA CURSUS.


EX TYPOGRAPHIA SANCTI IGNATII.
EXCUDEBAT JOANNES GENEROSUS SALOMONI.
PRÆSIDUM FACULTATE.

Digitized by Google

Illmæ, & Excellmæ Dnæ

D. MARIÆ VICTORIÆ
CORSINÆ ODESCALCHÆ

S. R. I. PRINC., SIRMII, BRACCIANI, ET CÆRITIS DUCISSÆ.



VENANTIUS MONALDINI BIBLIOPOLA

D. D. D.

CUM priorem Odeſcalchi hujus Muſei partem D. Livio Sirmii, Bracciani, & Cæretis Duci, Viroque Tuo chariſſimo, atque

b aman-

amantiſſimo dedicaverim, non committendum mihi erat, MATRONA PRINCEPS SPECTATISSIMA, ATQUE OPTIMA, ut alteram hanc Tibi non inſcriptam in lucem ederem. Cum enim tam arctè non ſacro ſolum conjugii vinculo, ſed etiam ſtudiorum, ac morum ſimilitudine conjuncti ſitis; nefas omnino eſſet non par ad Te munus mittere, neque illud eniti, ut perenne hoc obſervantiæ etiam erga Te meæ monumentum extaret. Præſertim cum quantum præſidii in Juvenis nobiliſſimi nomine editioni huic meæ conſtitutum eſſe video, tantumdem ex Tuo pariter eidem comparatum iri conſiderem. Et certe, ſi in ejuſmodi rebus eorum amplitudo plurimum valet, quibus aliquis ſeſe in clientelam commendat; nihil profectò eſt, quod Te hujus induſtriæ meæ adjutrice me conſecuturum non ſperem. Etenim in ea Te familia eſſe natam quis neſcit, cujus Majorum gloria tot jam ante ſeculis fuerit non apud

apud mortales tantummodo, ſed etiam apud Superos propagata ? Unum ornamentum hoc deerat, ut ex eadem Gente unus aliquis exoriretur, qui Cælitibus retribuere honorem aliquo modo poſſet, a quibus tantum Gens ipſa honoris acceperat. Exortus eſt Beatiſſimus ille Pontifex Clemens XII. & cui hæc poteſtas daretur, & per quem ob eam ipſam poteſtatem nova Generi veſtro ſplendoris, & ornamentorum acceſſio fieret. Qua quidem in re illud percommode accidit, quod collecta in ſe uno univerſa Corſinorum Heroum decora palam, & ante oculos humani generis poſuit, eademque tamquam hæreditatem patrimonio quovis præſtantiorem in ſuos poſteros derivavit. Horum Tu ornamentorum quatenus particeps facta fueris, non eſt quod ego prædicem; cum de eximia Tua religione, de ſingulari in pauperes liberalitate, de bonarum artium ſtudiis, de ſapientia denique, & virtutis maturitate cum

tanta

tanta ingenii indole , atque officii ſuavitate conjunctis , quotquot omnium generum , atque ordinum in Urbe vivunt , certiſſimos teſtes habeam . Hæc profectò omnia ſicut incredibili me cupiditate incenderunt , ut hujus Te operis Fautricem, ac Patronam nanciſcerer , ita in eam quoque ſpem adduxerunt fore , ut improbare , vel reprehendere audeat nemo, quod a Te prius probatum, ac laudatum eſſe cognoverit . Quare in hac Tua erga me benignitate unice acquieſcenti nihil mihi aliud ſupereſt , niſi ut pro ſuſcepto Patrocinio maximam Tibi gratiam habeam , ob eamque cauſam me Tibi uſquequaque deditum , atque addictum eſſe confirmem .



LECTORI BENEVOLO

NICOLAUS GALEOTTI E SOCIETATE JESU.

JAM multa in priore hujus operis parte præfatus ſum, ut in hac altera nihil ſit, quod admonitos Lectores velim. Tamen, ut conſuetudini ſerviam, Bibliopolæque de litterarum ſtudiis præclare merito morem geram, viſum eſt, quaſi exordii loco nonnulla hic de peritiſſimo artifice commemorare, qui Muſeum hoc ipſum tam eleganter delineavit, & in æris lamellis incidit. Fuit is, ut ex adſcripto unicuique Tabulæ nomine apparet, Petrus ille Sanctes Bartoli, qui in Antiquitatis reliquiis graphio exprimendis ita excelluit, ut ea præſertim ætate ſuperiorem habuerit profecto neminem. Honeſtis, & locupletibus parentibus Peruſii natus anno MDCXXXV. a pueritia ipſa Vincentii Gratiani Viri in illa Civitate Primarii hortatu in Urbem eſt miſſus. Eo præceptore tantum brevi profecit, ut per ſe ipſe etiam excogitaret multa, marteque ſuo tabulas elegantiſſimas penicillo, & coloribus pingeret. Verum non ita multo poſt ab hac exercitatione omnino ſe abſtraxit, & ad genus aliud facultatem ſuam omnem, & ſtudium contulit. Eo enim toto impetu animi ferebatur, ut ſiquid ſingularis, & eximii in antiquis

gemmis, ac nummis, in æreis marmoreis, eboreiſque ſimulacris animadverteret, earum rerum formam eo, quod ſupra diximus, artificii genere exprimeret. Et certe dici vix poteſt, quanta ejus eſſet in ejuſmodi monumentis conquirendis induſtria. Nullus tam abditus erat locus, quo ille non penetraret, & ibi quodcumque deprehenſum fuiſſet antiquitatis veſtigium, coram intueri non vellet, ac per ſe ipſe penitus introſpicere. Neque vero ſi qua ſeſe obtuliſſet occaſio, magnum in eas res ſumptum facere prætermittebat. Erant ejus plures ſcrinia, atque abaci toidem prope dicam Idolorum, Gemmarum, & Sculpturarum veterum repoſitoria. Accedebat ſelectorum voluminum Bibliotheca, ut domum totam non privati alicujus, ſed bonarum artium, & eruditionum domicilium eſſe diceres. Quocirca non mirandum eſt, ſi quotidiani cum Romanæ Civitatis Principum, tum etiam externorum ad eum concurſus fierent. Hoc ipſo fiebat ut Chriſtinæ Svecorum, & Vandalorum Reginæ jucundus inprimis eſſet, quæ ut in hiſce rebus admodum erat intelligens, de iiſdem cum eo ſermonem ſæpenumero conferebat. Ludovicus vero XIV, Galliarum Rex hac tanta hominis famæ celebritate permotus eum in Regiam ſuam magnis præmiis propoſitis invitavit. Sed quominus ejus voluntati obſecundaret impedimento fuerunt Pontifices Maximi, qui Petrum Sanctem adhibebant perſæpe, & Pontificii, Capitolinique Antiquarii munere decorarant. Huic ille muneri præfuit uſque ad VII. Idus Nov. Anni MDCC.; quo die aqua inter cutem tandem oppreſſus interiit: Juſta exequiarum facta ei fuerunt in Sacra S.Laurentio in Lucina Æde, ubi prope Sepulcrum Nicolai Pouſſini Præceptoris amantiſſimi humatus fuit. Huic igitur tanto Viro acceptum referamus oportet, quod Muſei hujus Odeſcalchi monumenta, nulla umquam ſint vetuſtate temporis interitura. Non ingratum fortaſſe legentibus accidet, ſi hic ego alia, quæ Petrus Sanctes in hoc eodem artis genere effecit, breviter, ac ſummatim exponam, non tamen id mihi ſumens ut omnia prorſus enumerem; ſed ea ſolum de quibus ſcite ipſe potui, quorumque ab aliis mentionem eſſe factam invenio. Pleraque in majoribus quibuſdam Cameræ Apoſtolicæ Calcographiæ quam vocant voluminibus continentur. Eorumdem ego voluminum inſcriptiones totidem fere verbis huc transferam: ſunt autem.

Columna Trajana, ubi Belli Dacici Hiſtoria, victoriæque a Trajano Cæſare reportatæ.

Columna Antonina, ubi Hiſtoria Belli Marcomannici a M. Antonino Aurelio feliciter geſti.

Admi-

Admiranda Romanarum Antiquitatum, ac veteris Sculpturæ veſtigia anaglyptico opere elaborata.

Veteres Arcus Auguſtorum triumphis inſignes ex reliquiis, quæ Romæ adhuc ſuperſunt cum imaginibus triumphalibus reſtituti antiquis nummis, notiſque Jo. Petri Bellori illuſtrati.

Romanæ magnitudinis monumenta, ideſt veteris Romæ Templa, Amphiteatra, Theatra, Circi, Naumachiæ, Arces, Thermæ, magnificaque ædificia alia.

Sepulcra antiqua Romana, Etruſco opere Romæ, & alibi effoſſa.

Lucernæ antiquæ Sepulcrales e ſubterraneis locis erutæ.

Huc accedit volumen antiquarum picturarum. Aliud antiquarum pariter gemmarum, & aliud nummorum antiquorum.

Gemmas item plurimas, necnon eboreas æreas effigies atque Cryſtallinas ab eodem Petro Sancte delineatas, & inciſas in operibus Senatoris Bonarotæ & Franciſci de Ficoronis reperies.

Præter ea, quæ diximus, eodem artificio ab illo expreſſa ſunt multa, quæ Raphael Sanctius Urbinas in Vaticanis ædibus, quæque alibi Julius Pipi Romanus, Hannibal Caraccius, & alii pictores præſtantiſſimi pinxerunt. Adde textiles picturas Hiſtoriæ Actuum Apoſtolorum circumpoſitas in Atrebatenſibus aulæis & in quibus ex Archetypis ejuſdem Raphaelis res a Leone X geſtæ deſcriptæ ſunt. Adde quæ in ſuperiorum Vaticani Palatii porticuum intervallis plaſtico, & colorato effecta opere conſpiciuntur. Petri Sanctis diagrammata quoque ſunt, quæ juſſu Camilli Cardinalis Maximi effecit, quæque renovata iterum in lucem prodierunt, extantque in Volumine ſic inſcripto. *Antiquiſſimi Virgiliani Codicis fragmenta, & picturæ ex Bibliotheca Vaticana cum notis Johannis Bottari Florentini SSmi Domini N.* BENEDICTI Papæ XIV. *ab intimis Sacellis S. Mariæ in Traſtyberim Canonici, & Bibliothecæ Vaticani Cuſtodis*. Apud nobiliſſimam, quam ſupra diximus Maximorum Familiam volumen eſt, ubi antiquarum picturarum exempla, eodem prorſus modo a Petro Sancte Bartoli colorata, quo in cryptis repertæ fuerant. Aliud ubi exempla pictura aliarum apud Emum Card. Alexandrum Albani. Aliud, quod, ut in Petri Sancti vita D. Leo Paſcolus narrat, in Brittanniam deportatum fuit. Mitto ſepulcrum Præſulis Auguſtini Favoriti in Liberiana Baſilica; Aquæductus ad Centumcellas, illiuſque Urbis, & Portus proſpectum, innumerabiliaque alia, quæ vix in unius hominis ætatem cadere videntur poſſe.

DE

DE MUSEO CAPITOLINO
PHALEUCIUM
DICTUM ANNO MDCCLI.

A NICOLAO GALEOTTI SOC. JESU.

Scythæ Gens fera, barbaraque turma
Et quantum ex Erebi tenebricoſis
Eduxit ſpecubus Megæra, non eſt
Non eſt præterea, quod exprobretis
Nobis dedecus ob graves ruinas,
Quas olim procul ab domo profecti
Urbi, heu gens fera! Romulæ intuliſtis:
Veſtra incendia, & impios furores
Jam non unius æſtimamus aſſis.
Invidis etenim frementibuſque
Vobis, (& patiamini neceſſe eſt)
Stat Roma incolumis; potenſque rerum
Stabit innumerabiles per annos.
Fruſtra vos mala mens, maluſque livor
In iſtud ſcelus impulit, cruento
Ut bello Italiam laceſſeretis.
Romam Gallia, Cambri, Britanni,
Romam Theutoneſque, Sarmatæque
Certatim properant novis olympo,
Ut jam molibus arduis propinquam
Urbem conſpiciant, & (id quod omnes
Majori movet æſtimatione,)
Ut priſcum Capitolium reviſant,
O quam longe aliud! Brverticem è ut
Arcem ſcandere geſtiunt! & illic
Quicquid eſt veterum elegantiarum,
Quicquid eſt veterum eruditionum
Perluſtrant oculis, manuque tangunt.
Anne uſquam eſt aliquod genus Deorum,
Anne uſquam eſt aliquod genus Dearum,
Quod hic non ſtupeant venuſte, & apte
Sculptum, & mirifica arte perpolitum?
Torvus fulmine Juppiter, Serapis

Mavors

Mavors belligera timendus haſta,
Juno, Veſta, Venus, Ceres, Diana,
Nec non Gorgone terreitans minaci
Pallas, Mulciber, Hercules, Lyeus,
Et Nymphæ, & Satyri, omnium & Deorum
Ingens turba; Senes, juvenculique,
Puſilli, medii, boni, malique,
Silveſtres, Superi, Inferi, Marini
Occurrunt oculis, venuſte & aquam
Sculpti, & mirifica arte perpoliti!
O quot Carneades, quot o Platones
O quot Democriti, quot Heracliti,
Zenoneſque! comas, quot o cervincis
Homeri, Heſiodi, Æſchyli, Biones,
Quot cum Sophocle Pindari, & Marones!
Adde huc & Martes, Numas, Catones,
Illos adde, quibus datum eſt tenere
Orbis imperium, & quibus venuſtum
Nil magis, aut nitidum, reperte cuncti
Eſſe ut Praxitelis manum reantur:
Eſſe ut Phidiacum toreuma clament.
Quid Cippos memorem, Urnulas, Lebetes,
Vaſa, Pondera, Cantharos, Lucernas,
Candelabra, Seceſpitas, Patellas,
Et quicquid veterum elegantiarum eſt,
Et quicquid veterum eruditionum?
Tanta hæc munera, tamque ſumptuoſa
Tanta hæc commoda tam beata, rerum
Corſino potente contigiſſe,
Jam nihil dubitanter ipſe cogor
Palam dicere, nec tacere poſſum.
Noſtra Heteruria peſſimi decoris
Terrarum Dea, gentiumque Roma,
Proh quantum tibi reddidit! Minore
Quamvis non ſtudia, dedit parentem
Quem poſt Felſina clara, cepta magni
Clementis pater tee ipſe magnus
Certat perficere, & recentiorum
Quicquid eſt etiam elegantiarum
Sumptu magnifico parare certat.
Aes quicquid ſimulare docta pictis

Tabellis potis æmulata, veros
Vultus, & faciem æmulata rerum
Quarumcumque, novi manet repoſitum
Jam intra limina ſanctiora tecti.
O ingens decus! O perennis ævi
Noſtri gloria, & uſque ſempiterno
Quem gentes merito colant honore!
O cui Maximus ille Rex Olympi
Det rego Pylium quater Senectam,
Vitamque innumerabiles per annos.

IMPRI-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

F. M. de Rubeis Patriarcha Conſtantinop. Viceſg.

APPROBATIONES.

JUbente Rmo Sac. Palatii Apoſtolici Magiſtro poſteriorem Tomum Muſæi Odeſchalchi attente, diligenterque perlegi: Cumque in eo nihil repererim, quod Orthodoxæ Fidei, ac ſanæ morum doctrinæ adverſum ſit, ſed uberem potius antiquarum rerum notitiam, ac multiplicem eruditionem, qua earundem rerum ſtudioſi proficere poſſint plurimum, in eo perſpexerim, dignum propterea illud cenſeo, quod in publicam lucem edatur in Reipublicæ litterariæ commodum. Datum ex Conventu S. Bartholomæi in Inſula IV. Nonas Februarii MDCCLII.

Fr. Joannes Antonius Bianchi Ord. Min.

JUſſu Rmi Sac. Palatii Apoſtolici Magiſtri Muſei Odeſchalchi Tomum alterum diligenter, atque attentè perlegi, in eoque non modo nihil reperi, quod Orthodoxæ doctrinæ, ac bonis moribus adverſetur, ſed multiplicem potius fabularum, atque antiquitatis notitiam, unde rerum harum ſtudioſi non mediocrem eruditionis capere fructum poſſint. Quare illum in lucem edi tuto atque utiliter poſſe cenſeo. In quorum fidem &c. Ex Collegio Romano Non. Feb. MDCCLII.

Contuccius Contucci Soc. Jeſu.

Reve-

Reverendiſſimi Patris Sac. Palat. Apoſt. Magiſtri nutu Opus, cui titulus: *Muſeum Odeſchalchum &c.* magna animi voluptate perlegi, & Cl. Viri ſtudium in perluſtrandis veteribus monumentis tanta diligentia, & accurato labore admiratus ſum. Sicuti vero in Romano Collegio jam ſummo Litteratorum plauſu nonnullis lucubrationibus, quibus multa in Auctoribus ſupplevit, illuſtravit, & critica arte notavit debitam doctrinæ, & honoris palmam eſt promeritus; ita evulgatis hiſce Antiquitatibus, poſteritati maximum emolumentum, quin etiam Auctori amplam gloriæ ſegetem acceſſuram cenſeo. Quamobrem cum opus ipſum nulla Fidei Catholicæ, boniſque moribus adverſa contineat, & ex ejus lectione omnigenæ Eruditionis feraciſſima eruditio redundatura ſit, feliciter in lucem prodire poterit. Dabam ex Ædibus 3. Februarii 1752.

Rodulphinus Venuti Rom. Antiq. Præſes.

IMPRIMATUR.

Fr. Joſeph Auguſtinus Orſi Ordinis Prædicatorum, Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

INDEX

INDEX TABULARUM
SECUNDI TOMI.

Apollo in Heliotropio *Tab. I.*
Apollo, & Marsyas in Jaſpide rubro *Tab. II.*
Mars in Onyculo. *Tab. III.*
Neptunus in Aqua marina. *Tab. IV.*
Ceres in Pyropo. *Tab. V.*
Ceres in Heliotropio. *Tab. VI.*
Venus, & Cupido. In Achate Sardonyche. *Tab. VII.*
Amor cum Face in Heliotropio. *Tabula VIII.*
Amores in Corneola *Tab. IX.*
Æsculapius in Heliotropio. *Tab. X.*
Hercules in Onyculo. *Tab. XI.*
Hercules in Corneola. *Tab. XII.*
Aurora, & Cephalus in Gemma factitia cærulei coloris. *Tab. XIII.*
Gratiæ in Cameo. *Tab. XIV.*
Pax in Onyculo. *Tab. XV.*
Sacrificium Palladi, in Aqua marina. *Tab. XVI.*
Bacchi Sacerdos in Hyacintho. *Tabula XVII.*
Bacchi Sacerdos in Corneola. *Tabula XVIII.*
Socrates in Corneola. *Tab. XIX.*
Perseus in Corneola. *Tab. XX.*
Crocotas in Hyacintho. *Tab. XXI.*
Miles cum Victoria in Corneola. *Tabula XXII.*
Eques in Corneola. *Tab. XXIII.*
Gladiatores in Corneola. *Tab. XXIV.*
Centaurus in Corneola. *Tab. XXV.*
Biremis in Granata. *Tab. XXVI.*
Biga in Corneola. *Tab. XXVII.*
Quadriga in Corneola. *Tab. XXVIII.*
Leo in Jaſpide. *Tab. XXIX.*
Amuletum in Heliotropio. *Tab. XXX.*
Amuletum in Lapide cæruleo. *Tabula XXXI.*
Abraxas in Lapide cæruleo. *Tabula XXXII.*
Jupiter ex ære. *Tab. XXXIII.*
Serapis ex ære. *Tab. XXXIV.*
Venus cum Pomis ex ære. *Tabula XXXV.*
Priapus ex ære. *Tab. XXXVI.*
Silvanus ex ære. *Tab. XXXVII.*
Vertumnus ex ære. *Tab. XXXVIII.*
Ursus, & Taurus ex ære. *Tabula XXXIX.*
Caput Bovis in Lucerna Ærea. *XL.*
Cygnus in Lucerna Ærea. *Tabula XLI.*
Apis, Bos, in Baſi marmorea. *Tabula XLII.*
Signum Isiacum in Baſi marmorea. *Tab. XLIII.*
Signum Isiacum in Baſi marmorea. *Tab. XLIV.*
Signum Isiacum in Baſi marmorea. *Tab. XLV.*
Mercurius Cynocephalus siva & Harpocrates in Baſi marmorea. *Tab. XLVI.*
Camillus in Baſi marmorea. *Tabula XLVII.*
Harpocrates in Baſi marmorea. *Tabula XLVIII.*
Solemnitas in Baſi marmorea. *Tabula. XLIX.*
Ver in Baſi marmorea. *Tab. L.*
Æstas in Baſi marmorea. *Tab. LI.*
Hyems in Baſi marmorea. *Tab. LII.*
Taurus Cornutus in Baſi marmorea. *Tab. LIII.*


APOLLO
In Elitropio



MUSEUM ODESCALCHUM

SIVE

THESAURUS ANTIQUARUM GEMMARUM

PARS SECUNDA

GEMMÆ ALIÆ CUM FORMA INTEGRA, SIMULACRA ÆREA, ET ANAGLYPHA MARMOREA.

TABULA I.

APOLLO.

APOLLINES Cicero lib.3. de Nat. Deorum docet fuiſſe plures. Antiquiſſimum ex Vulcano natum Athenarum cuſtodem. Alterum Coribantis filium natum in Creta. Tertium Jove tertio natum, & Latona, qui ex Hyperboreis Delphos advenit. Quartum in Arcadia, quem Arcades Nomionem appellabant, quod ab eo ſe leges accepiſſe dicerent.

In hoc Heliotropio inſculptus eſt Apollo ille, quem Vatem in primis, & Citharædum, immo & Vaticinii, & Citharædorum Deum, Sagittarium inſuper peritiſſimum Ovidiani verſus declarant lib. 1. Met.Fab.9.

Per me, quod eritque, fuitque,
Eſtque, patet; per me concordant carmina nervis.
Certa quidem noſtra eſt, noſtra tamen una ſagitta
Certior, in vacuo, quæ vulnera pectore fecit.

Hæc enim vero omnia gemmæ huic noſtræ adamuſſim reſpondent, in qua Pharetra, Cithara, & Tripus Aræ lapideæ ſuperpoſitus.

Quod ad Pharetram attinet, & Sagittas, huc etiam reſpexit Horatius l.1. od.12.

Nec Te metuende certa
Phœbe ſagitta

Et Epod. od. ultima

Condito mihi, placiduſque telo
Supplices audi pueros Apollo.

Sagittis hiſce Pythonem, hoc eſt, ingentem quemdam Draconem ex putredine terræ natum poſt Deucalionis diluvium interfecit. Rem narrat Ovidius l.1. Met. fab.8. Una cum Sagittis, & Pharetra deberet eſſe arcus; ſed hic deſideratur. Propter hunc Apollo a Latinis ſæpe numero Arcitenens dicitur: ab Homero Κλυτότοξος hoc eſt inclytus arcu.

Citharam aliqui eamdem eſſe, ac Lyram exiſtimarunt. Hujus inventorem Horatius Mercurium facit l.1. od.10.

Te canam magni Jovis, & deorum
Nuntium, curvæque Lyræ parentem.

De

De hac tamen re aliqui diſſentiunt, Lyramque ipſam Apollini tribuunt.

De Tripode perobſcura, atque involuta omnia ſunt, perinde, atque ea reſponſa, quæ ex Tripode Pythia Sacerdos canebat. Strabo l.9. ſic illum deſcribit: *Auctores*, inquit, *certi memorant, divinum ipſum domicilium profundam, & curvam eſſe ſpeluncam non admodum lato patentem ore. Atque hinc auram reddi ſacro efflante numine. Excelſum autem oſtio imminere Tripodem, quem ſimul atque Pythia Vates inſcenderit hauſto divinationis ſpiritu reſponſa edere, partim metro, partim oratione libera*. Ab his nonnihil Athenæi narratio diſcrepat lib.2. dimnoſophiſt., ait enim in Bacchi certaminibus præmium fuiſſe Tripodem, atque ob id, qui vera dicerent, vulgo de Tripode loqui dictos. Tripodem vero Lebetem fuiſſe tribus fultum pedibus. Hujus genera duo: alterum Apollinis ob veritatem oraculorum: alterum Bacchi, in quo vinum miſcebatur, quod ebrii vera loquantur. Nam *in vino veritas*. Senator Clariſſimus Bonaroti *Oſſervazioni Iſtoriche &c.*pag.180. addit ex Lucano ex Nonno vas illud ſupra Cryptæ hiatum locatum ob flantem inde ventum tremore quodam pertentari ſolitum, & ex ejuſmodi concuſſione, atque crepitu peti oracula conſueviſſe. *Immo*, inquit, *opinati aliqui ſunt in vas illud ipſum demitti conſueviſſe lapillos, ut crepitaret magis, & pro ſonituum diverſitate, diverſa erant pariter rerum futurarum oracula*.

Varias Tripodum formas videre unuſquiſque poteſt apud doctiſſimum Jacobum Sponium ſub finem ſectionis ſecundæ Miſcell. erudit. Antiquit. Nos in Muſeo Kirkeriano habemus unum plicatilem. Tribus

bus enim virgis, quæ Lebetem ſuſtentant, minores aliæ decuſſatim ita innexæ ſunt, ut omnes pariter inſtar umbellæ colligi, conſtringique poſſint. Tripodem plicatilem nihil huic noſtro diſſimilem vide in Muſeo Capitolino a Sanctiſſimo Domino Noſtro BENEDICTO XIV. dono datum.

Quid intra vas Tripodis in hoc Heliotropio inſculpti contineatur, neque ego ſatis intelligo, neque alii ſatis diſpicere potuerunt.

Cur autem plerumque imberbis Apollo pingatur, docet Fulgentius lib. 1. Mythol. *Quia* (cum ſit idem, ac Sol) *occidendo, & renaſcendo ſemper eſt juvenior, ſicut quod numquam in ſua virtute deficiat, ut Luna, quæ creſcit, & minuitur*. Immo Callimachus hymn. in Apoll. verſ. 35. omnem ei lanuginem adimit.

οὔποτε φοίβου
Θηλείαις οὐδ' ὅσσον ἐπὶ χνόος ἦλθε παρειαῖς

Numquam Phœbi
Teneris vel tantillum quidem lanuginis increvit genis.

TABULA II.
APOLLO, ET MARSYAS.

MARSYAS multo ante Trojana bella floruit, ut ſcribit Plutarchus in lib. de Muſica. Filius fuit Hyagnidis, ut advertit Natalis Comes l. 6. cap. 15. ejus nimirum, qui primus omnium mortalium leges muſicas ad laudes deorum, quibus in ſolemnitatibus Græci uſi ſunt, accommodavit. Jam vero cum Minerva, ut ait Athenæus, inventas ab ſe

tibias


APOLLINE E MARSIA

tibias non procul a Cælenis inflaſſet, oriſque ſui turpitudinem, ac tumorem in lacu vidiſſet, eas abjecit; *Secedite a me*, inquiens, *malæ corporis depravationes*. Has Marſyas cum reperiſſet, præſtantiſſimus Tibicen evaſit. Et ob eam cauſam, ut ſcriptum eſt apud Pauſaniam in Phocaicis, Apollinem provocavit ea lege, ut victor victo, quodcumque liberet, præciperet. Cum autem victus fuiſſet Marſyas, juſſit Apollo eum ad truncum pini arboris alligari. Hoc in Philippi Poetæ Græci epigrammate legimus. Arborem vero Pinum fuiſſe indicant Nicandri verſus, quos Natalis Comes eo loco, quem ſupra diximus, recitat. Quomodo autem poſt victoriam ei pellis ab Apolline detracta fuerit, ſic Ovidius fabuloſè narrat l.6. Met. Marſyam ipſum Satyrum eſſe faciens

Exitium Satyri reminiſcitur alter;
Quem Tritoniaca Latous arundine victor
Affecit pœna. Quid me mihi detrahis! inquit
Ah piget! ah non eſt, clamabat, tibia tanti!
Clamanti cutis eſt ſummos direpta per artus;
nec quicquam niſi vulnus erat:

Eamdem repetit fabulam Faſt.lib.6. loquens de tibia
Inventam Satyrus primum miratur, & uſum
Neſcit, & afflatam ſenſit habere ſonum.
Et modo demittit digitos, modo concipit auras;
Jamque inter Nymphas ante ſuperbus erat.
Provocat & Phœbum, Phœbo ſuperante pependit:
Cæſa receſſerunt a cute membra ſua.

Idem Naſo ab lacrymis Faunorum, atque Nympharum ejus obitum deflentibus ortum flumen fuiſſe fingit, & ab ejus nomine Marſyam vocatum: eodem lib.6. Metam.

Illum ruricolæ ſilvarum numina Fauni,
Et Satyri fratres, & tunc quoque clarus Olympus
Et Nymphæ flerunt, & quiſquis montibus illis
Lanigeroſque greges, armentaque bucera pavit.
Fertilis immaduit, madefactaque terra caducas
Concepit lacrymas, & venis perbibit imis.
Quas non fecit aquas, vacuas evaſit in auras
Inde petens rapidum ripis refluentibus æquor,
Marſya nomen habet Phrygiæ liquidiſſimus amnis.

In illud certamen Marſyam & Apollinem veniſſe memoriæ proditum eſt apud Cælenas Urbem Phrygiæ in monte ejuſdem nominis ſitam, juxta quam Marſyas flumen decurrit. Non longe ab ea lacus eſt, ubi ad uſum tibiarum gignuntur calami optimi; quam quidem rem poteris apud Strabonem legere lib.12. Addit hoc Herodotus in Polihymnia ex pelle Marſyæ detracta utrem confectum in Cælenarum Urbe ſuſpenſum ſpectari. Jam verò in hac noſtra Jaſpide totam hanc Marſyæ fabulam deſcriptam vides. In primis ecce tibi Satyrus ipſe Marſyas manibus revinctis poſt tergum, ad pini truncum alligatis. Ex ejus arboris ramis Tibiæ duæ, cauſâ mali tanti dependent. Pelli inſidet leoninæ,

vel

vel Tigridis. Hæc enim ſunt Bacchi ornamenta apud Nonn. l.9. adeoque ejus etiam aſſeclarum, cujuſmodi numerantur Fauni, atque Satyri. Leonardus Auguſtinus part.2. num.3. in hac eadem, vel in huic omnino ſimili gemma vultum illum, qui ſerinus videtur, & e ſedili pendet, Sileni larvam eſſe mavult. Stat Apollo in ſiniſtra manu Cytharam tenens, quam tamen cum ipſum cædis pœnituiſſet, ab eo contractam fuiſſe ferunt. Dextera vero cultrum lanienæ miniſtro ſervo porrigit, ut rem totam conficiat. Quem cultrum eſſe dixi, fortaſſe plectrum eſt, quo Citharæ cordæ a Citharædo Apolline percutiebantur. Juvenis vero, qui genu dextero flexo perſtat non cultrum accipiens, vel accepturus, ſed calamitatem deprecans, quæ comiti miſerrimo jam jam impendebat. Hæc certe ſignificantur in Cameo pulcherrimo, atque elegantiſſimo, quem Tab.32. D. Rudolphinus Venuti in Collectaneis Romanarum antiquitatum exponit. Villelmus Choul in oratione de veterum Romanorum Religione Marſyæ ab Apolline ſic deglupti imagine, Neronem epiſtolas obſignare ſolitum fuiſſe cenſet, & hoc evincere contendit, aſſerens fuiſſe antiquum aliud hujuſmodi ſigillum, ubi inciſum erat: NERO. CLAVDIVS. CÆSAR. AVGVSTVS GERMANICVS. P. MAX. TR. P. IMP. P. P. Apud Abrahamum vero Gorleum in ſua Dactyliotheca eſt Achates Sardonicus utrinque inciſus, & in altera quidem ejus facie Marſyas, & Apollo; in altera vero, Neronis, & Agrippinæ parentis capita conſpiciuntur.

TA-

TABULA III.

MARS.

MArs, ut ait Varro ita dictus quod maribus in bello præſit. Verius ab Ἄρης græco vocabulo addita littera M quod eſt ab αἴρειν. *Tollere interficere*. Ab ἄρης vero appellatus eſt Areopagus Athenarum vicus; ubi Mars de cæde Halirrhothii, qui erat Neptuni filius accuſatus olim fuerat, & a diis duodecim abſolutus. Alii Martis nomen deducunt ab ἄτης damno. Plato in Cratylo ab ἄῤῥενος mare. Homerus. Iliad. 5. Jovem inducit dicentem Martem ipſum ex ſe, & Junone natum. Phornutus apud Gyraldum Jovis, & Enyus filium eſſe ponit, alii Solius Junonis, quæ cum per vireta vagaretur, illum conceperit. Epicharmus patria Spartanum eſſe, ait; Sophocles in Thraciæ finibus procreatum, ut eſt etiam apud Arnotium lib.4. contra gentes. Diod. Sicul. lib.5. narrat Martem primum omnium fabricatis armis milites armaviſſe, & Deorum adverſarios interficiendo, bellandi, pugnandique artem inveniſſe. Eſt autem Mars unus ex diis majorum gentium, quos omnes duobus hiſce verſiculis Ennius complectitur.

Juno, Veſta, Minerva, Ceres, Diana,
Venus, Mars
Mercurius, Jovi, Neptunus, Vulcanus,
Apollo.

Innumera ſunt ejus vel nomina, vel epitheta, quæ videri poſſunt apud Grutherum in Inſcriptionibus, & apud Gyraldum Syntagm. Hiſt. Deor., & apud Roſ-

Digitized by Google


T. III
MARTE
In Nicolo
Nel Museo di S. E. il Duca Odescalchi

Google

Roſſinum Antiquit. Rom. & alios. Mihi tamen nullum opportunius accidit, quam quod Pauſanias in Arcadicis profert. *Eſt etiam*, inquit, *in Tegeatum foro Martis ſignum pilæ inſcalptum ... quem ætate noſtra Phylactriden, ac ſi Præſidiarium dicas*, *vocant*. Atqui talem ego Martem in hoc noſtro onyculo eſſe inſculptum dicere poſſe videor. Nam ſi Mars militum eſt, & militiæ præſes; ad milites utique non minus pertinet in bello manus conſerere, quam, cum pacata ſunt omnia, Urbibus, ac Regnis præſidio eſſe, ne hoſtes bellum inferant. Jam vero Mars armatus haſta eſt, ſcuto, atque galea, quibus eſt in omnibus fere monumentis aliis inſtructus. Columnam, cui ſcutum ſuperponit indicium eſſe ſecuritatis opinor. Mecum facit Horatius lib. I. Ode 35.

Iniurioſo ne pede proruas
Stantem columnam, neu populus frequens
Ad arma ceſſantes ad arma
Concitet, imperiumque frangat

In Nervæ certe nummis SECURITAS columnæ innititur addita in ejus manibus cornucopia, quia ex ſecuritate cæteræ utilitates promanant, præſertim agriculturæ commoda. Recte igitur Marti huic Philactridæ, & Præſidiario, hoc eſt ſecuritatis auctori apponuntur cornucopia, & frumenti ſpica, quibus ea, quæ diximus, agriculturæ commoda ſignificantur. In nummo Gentis Valeriæ eſt item cum ſpica Mars victor. Verum ibi ſpica, ut interpretatur Fulvius Urſinus non ubertatis, ſed Ædilitatis ſignum eſt, quam L. Flaccus Valerius obtinuit.

Tom.II. C TA-

TABULA IV.

NEPTUNUS.

NEptunus, ut Cretenſes narrant primus navigandi arte inventa, Claſſem inſtituit, ejuſque Præfectus eſt a Saturno factus, Quapropter traditum eſt poſteris, Neptunum imperaſſe mari, ſacraque ei a navigantibus facta. Addunt etiam Neptunum equos primum domuiſſe, artemque equitandi ab illo traditam, ex quo Hippus ſit appellatus. Hæc ſunt in Diodori ſiculi lib.6. cap.5., & inde habemus Fabulæ originem, & fundamentum. Dictus autem Neptunus a nubendo, ut ait Varro, quod ſicut Cœlum nubes, ita mare terras tegat. Cryſippus Stoicus apud Cic. lib.1. de natur. Deor. æthera docet eſſe eum, quem homines Jovem appellant; qui vero aer manat per maria Neptunum. Lib. vero 2. *Aqua*, inquit, *reſtabat, & terra, ut eſſent ex fabulis tria regna diviſa: datum eſt Neptuno alterum Jovis, ut volunt fratri maritimum omne regnum, nomenque productum, ut Neptunus a nando paullum primis literis immutatis*. Tridentem manu præfert, inquit Fulgentius, lib.1. *quod aquarum natura triplici virtute fungatur, ideſt liquida, fæcunda, potabili.*

Navigandi ars ſatis navigio, in quo illum ſtantem videmus, exprimitur; ſtellaque inſuper, quam eſſe Cynoſuram conjicimus, quæque a nautis obſervari ſolet.

Equos vero domandi artem duo quaſi navigio

juncti


NETTVNO
In Æqua Marina
Nel Tesoro di S. Ecc. il Duca Odescalchi

Digitized by Google

juncti equi ſignificant, quos ille flagello accinctus frænare videtur velle. Neptunus enim, ut eſt apud Virgil. lib.1. Georg. v. 13. ille fuit,

Cui prima frementem
Fudit equum magno Tellus percuſſa Tridente.

Cæterum Neptunus depingi ſolet cum equis non quadrupedibus, cujuſmodi ſunt in hac gemma, ſed cum iis, qui Græco vocabulo Hippocampi appellantur, & equi marini ſunt. Tales videas in nummo C. Marii, & in illis Familiæ Crepereiæ. Tridens igitur Hippocampi atque Delphines Neptuno aſſignantur plerumque, tamquam ejus maritimæ poteſtatis inſignia. Et quia Pompejus magnus egregium ſeſe pluribus maritimis bellis Imperatorem præbuerat; ideo in ejus nummo Neptuni eſt effigies barba promiſſa, & a tergo imaginis Tridens; Sextuſque Pompejus illius filius ob eamdem cauſam Neptunum arroganter ſe appellavit, ut teſtatur Dio. lib.48. *Sicilia*, inquit, *occupata naves plures extruxit; mare circum inſulas obtinuit. Auctus ea gloria, ac faſtu, quaſi Neptuni eſſet filius, quod Pater quondam mari univerſo imperium tenuiſſet*. Et paulo infra: *Sex. Pompejus magis tum elatus animo vere Neptuni ſe filium credidit, veſtemque induit cæruleam.*

TA.

TABULA V.

CERES.

ORPHEUS Cererem Rheam eſſe dicit, & Arnobius l.5. c. Gentes Jovis Matrem appellat. Heſiodus non Rheam eſſe, ſed Rheæ, ſive Opis & Saturni filiam affirmat, cum quo Ovid. lib.6. Faſt. & Diodorus conſentiunt: Dictam fuiſſe Cererem a *creando* exiſtimat Varro, Cic. vero lib.2. de natura Deorum tamquam a *Geres* hoc eſt a gerendis fructibus. Habita enim frugum eſt Dea: Qua de re ſic Ovid. lib.5. met. Fab.6.

Prima Ceres unco glebas dimovit aratro,
Prima dedit fruges, alimentaque mitia terris:
Prima dedit leges. Cereris ſunt omnia munus.

Recte igitur ejus imago frumenti ſpicam læva manu tenet, dexteraque cornucopiam. Ex hac de more prominent flores, poma, fructuſque alii: Non diſpicio, an inter eos ſint ficus, quarum plantam a Cerere Phytalo commonſtratam Pauſanias in Atticis narrat. Inſcriptionemque hanc affert, quæ in Phytali tumulo legebatur: quæ latine reddita eſt hujuſmodi.

Hic ſitus eſt Phytalus, Cererem, qui in tecta recepit
Heros, cui primum quondam Dea dulcia poma
Monſtravit: ficos nomen dixere priores.
Æternos Phytalus ſic eſt ſortitus honores.

Huic



Nel Tesoro di S. A. il Duca Odescalchi

1426. (PH).


CERERE
Elitropio

Huic Deæ porcam immolari ſolitam teſtatur Macrobius lib.1. Saturn. cap.12., *quia Segetem*, inquit, *quam Ceres mortalibus tribuit porca depaſta eſt*: Nefas omnino erat in hujuſmodi ſacrificiis vinum adhibere Plaut. Aulul. act.4. ſcen.6.

Cererin' mi ſtrobile hi ſunt facturi nuptias
Qui? quia temeti nihil allatum intelligo.

Virgines, quæ ſacra Cereris in caniſtro, aut Ciſta ferebant, dicebantur Canephoræ. Eas Athenis regnante Erichthonio inſtitutas, ſcribit Svidas a Philochoro eſſe traditum. De iis Cic. in Verr.6. *Erant*, inquit, *præterea duo ſigna non maxima, verum eximia venuſtate virginali habitu, atque veſtitu, quæ manibus ſublatis ſacra quædam more Athenienſium Virginum repoſita in Capitibus ſuſtinebant*. Unam ex hujuſmodi Canephoris fictilem in Muſeo Kirkeriano aſſervamus.

TABULA VI.
CERES.

Esse Cereris effigiem hanc quoque, ſpicæ geminæ, quas in manu tenet, oſtendunt. Cur autem ſedet in ſella? Sellam Æternitatis eſſe ſymbolum Pierius Valerianus exiſtimat 43. *Stella* V. *Perennitas* conjecturam capiens ex Romæ ſedentis ſimulacro, quod in nummo quodam ſe vidiſſe teſtatur cum Ancili, & inſcriptione ROMÆ ÆTERNITAS. Verum ſi conſulere nummos velimus Æternitatem longe ſæpius omnino ſtantem videbimus. Ut cumque ſe res habeat, æternitas Cereri convenire poterat, quod frumento, frugibuſque

alis ab ſe repertis hominum genus alere numquam deſtituram eſſe, crederent.

Deæ caput diademate, ſeu faſcia præcingitur quam Deorum, & Dearum inſigne fuiſſe omnes norunt, ita Plin. lib.33. Apollinem *diadematum* appellat. Formica circumſtans Providentiam ſignificat. Etenim ut ait Cic. lib.3. de natura Deorum. *In Formica non modo ſenſus; ſed etiam mens, ratio, memoria*. Hæc ejus providentia in re frumentaria maxime cernitur Horat. lib.1. Sat.1.

Parvula (nam exemplo eſt) magni formica laboris
Ore trahit, quodcumque poteſt, atque addit acervo
Quem ſtruit haud ignara, ac non incauta futuri.

Apud Leonardum Auguſtinum Gemm. figur. p.2. n.65. Eſt Ceres haſtata ſpicam una cum papaveribus porrigens quemadmodum etiam Theocritus, & Callimachus illam deſcribunt. Virgilius 1. Georg. *Cereale* papaver appellat, vel quia Ceres Papaveris inventrix fuerit, ut docet Euſebius lib.3. de Præpar. Evang., vel quod eo Ceres uſa fuerit ad oblivionem doloris ob Proſerpinam ſibi raptam, ut Servius Honoratus interpretatur, vel quod, ut ait Probus Grammaticus, una cum Segete naſcitur. Poſſumus illud addere Triptolemo puero gravius ægrotanti papaver ad bibendum una cum lacte a Cerere fuiſſe præbitum, ut fabulatur Ovid. lib.4. Faſt.

Abſtinet alma Ceres, ſomnique papavera cauſas
Dat tibi cum tepido lacte bibenda puer.

Ce-

Digitized by Google


T. VII.
VENERE E AMORE
In Agata Sardonica

Ceres ſumma religione apud ſiculos maxime colebatur. Et Ennenſem quidem (ubi nunc *Caſtro Joanni*) etiam gentes cæteræ venerabantur. Illuc Romani Sacerdotes ex decemvirali Collegio miſſi propterea olim ſunt P. Mucio, & L. Calpurnio Coſſ. quod in Sybillinis libris Cererem antiquiſſimam placari oportere, perſcriptum extabat. Fuit ejus Templum in antiqua Urbe Palatio in monte Palatino ſita teſte Dionyſ. l. 2. additaque ei Græca Sacerdos fuerat. Ædes alia poſt Urbem conditam dedicata Cereri fuit in extremo Circo maximo ad Carceres, extructæque ſunt etiam aliæ, quarum meminit. P. Victor.

xiii. Kal. Maii Cerealia erant, in quibus ſacra Matronis fiebant. Cereales item ludi & ante Idus Apriles uſque ad xiii. Kalendas Majas in Circo maximo celebrabantur. In Muſeo Cortonenſi num. 30. eſt Ceres huic quam ſimillima cum ſpicis & formica, ſedens pariter in Sella, ſed cum fulcro dorſuali, & eſt in Jaſpide inciſa.

TABULA VII.
VENUS, ET CUPIDO.

Cicero lib. 3. de nat. Deor. quatuor Veneres enumerat unam Cœli, & Lucis filiam, aliam ſpuma maris genitam, ex qua & Mercurio natus Cupido. Tertiam Jovis, & Diones filiam, Vulcanique uxorem, eamdemque, Anterotis matrem. Quartam Syri, & Syriæ filiam, Aſtarten vocatam, quæ Adonidi nupſit: de qua eſt Luciani liber inſcriptus *de Syria Dea*, & multa habet

bet Apul. lib.8. de Aſin. Hæc Dea Sidoniorum ἀςάρτη Judæis erat עשתרת Aſthoreth. Poetæ de ſecunda plerumque intelligendi ſunt, quæ Cynaræ meretrix fuit, cujus digna tali munere myſteria deſcribunt Clem. Alexandr. in Protrept. & Arnobius l.5. contra gentes. Eam nos eſſe putamus, quam in hac Tabula delineatam aſpicimus.

Veneri parenti ſuæ in arboris trunco ſedenti adſtat filius Cupido, qualem deſcribit in Epigrammate, quod Marullus latine vertit.

Quis puer hic? Veneris. Plenæ quæ cauſa pharetræ?
Non bene proviſus certe quod arma movet.
Cur ſine veſte Deus? Simplex puer odit opertum.
Unde puer? pueros quod facit eſſe ſenes.

Pharetram hic Cupido non geſtat, ſed a Venere illam accepturus expectat; Venus autem fortaſſe jocatur, & cum filio colludit, quaſi impedire illum velit, quominus illam apprehendat? An

Cytherea novas artes, nova pectore verſat Conſilia? Æn.1.

mandans Cupidini, ut ſagitta Didonem configat? Quamquam Virgilius obtutibus, non ſagittis rem tranſigit; igneque illo, quem Cupidinem jubet Didonis oſſibus implicare. Unuſquiſque ſentiat, quod vult. Mihi placet hoc pacto fabulam comminiſci.

Timende Matri Teliger ſæve puer.

dixit Senec. in Oetæo act.1. v.543. Et quidem jure; cum ne ab ipſa quidem matre manus abſtineat, ut interpretatur *delRio*. Certe de tanta Cupidinis petulantia Venus ipſa apud Lucianum conqueritur.


AMORE CO LA FACE
In Elitropio
Nel Tesoro di S. Alt. il Duca Odescalchi

ritur. Quod tum maxime patuit, cum illam amore inflammavit, ut eſt apud Ovid. l. 10. Metam.

Namque pharetratus dum dat puer oſcula
Matri
Inſcius extanti diſtrinxit arundine pectus
Læſa manu natum Dea reppulit: altius actum
Vulnus erat, ſpecie primaque fefellerat ipſam.

Dico igitur, in hac gemma Venerem Cupidini pharetram velle tradere, ſed antequam tradat commonere illum, ut ſaltem ſibi parenti ſuæ parcat. In Muſeo Cortonenſi Tab.28. aliter cum Cupidine Venus ludit, offert enim ei globum, qui utrum pomum ſit, an Mundi Symbolum, lege in cl. Valeſii explanatione.

TABULA VIII.
AMOR CUM FACE.

CUPIDINEM neque omnem, neque ſemper alatum pingi, aut fingi ſolitum argumento eſt locus Ciceronis lib.3. de natur. Deor. Ibi enim tres Cupidines numerat; Mercurio primum & Diana natum; Mercurio, & Venere ſecunda alterum, tertium, qui & Anteros Marte, & Venere tertia genitum. *Dianæ item*, inquit plures; *prima Jovis & Proſerpinæ, quæ pinnatum Cupidinem genuiſſe dicitur*. Hoc ipſum ſentire viſus Propertius lib.2.

Quicumque ille fuit, puerum qui pinxit amorem

Ecce puer Veneris fert everſamque pharetram,
Et fractas mærens, & ſine luce faces.

Niſi malimus exiſtimare ideo hoc ab Ovidio fuiſſe dictum, quod amatorias Tibullus elegias conſcripſerat. Cæterum Eubulus male Cupidinem, ſive Amorem alatum fingi, aut pingi conatus eſt oſtendere his verſibus, quos Atheneus refert lib. 13.

Τίς ἦν ὁ γράψας πρῶτος ἀνθρώπων ἄρα
Ἢ κηροπλαστήσας Ἔρωθ' ὑπόπτερον;
Ὡς οὐδὲν ᾔδει πλὴν χελιδόνας γράφειν
Ἀλλ' ἦν ἄπειρος τῶν τρόπων τῶν τοῦ θεοῦ
Ἔστιν γὰρ οὔτε κοῦφος, οὔτε ῥᾴδιος
Ἀπαλλαγῆναι τῷ φέροντι τὴν νόσον
Βαρὺς δὲ κομιδῇ· πῶς ἂν οὖν ἔχοι πτερὰ
τοιοῦτο πρᾶγμα; λῆρος ἂν φήσειέ τις.

Quis omnium primus virorum pinxit?
Aut alatum amorem finxit in cera prior;
Hirundines ſolum ſciebat pingere;
Mores nec ille norat, aut mentem Dei:
Nec eſt enim levis, nec eſt is, qui celer
Morbum ferentis avolet præcordiis
Graviſque valde: qui ſit ut alæ ſint ei,
Res hæc erant nugæ; ferat vel ſi quis hoc.

TA-

TABULA IX.

AMORES.

HIC mihi divinandum omnino eſt, ut hujus gemmæ ſymbola interpreter: ſunt hic Amores duo, Columna, ſupra quam Gryps cum Clypeo, quem ſiniſtro pede ſuſtentat. Ex columnæ vertice duo utrimque laurei rami ſeſe protendunt, ac flectunt.

Gryphum meminit Plinius l.10. cap.49. quos in Æthiopia naſci, memoriæ proditum erat, eoſque aves plane fabuloſas merito exiſtimat. Illorum mentionem etiam factam eſſe reperio a Pauſania in Arcadicis, ab Æliano ex Cteſia, a Philoſtrato in Vita Apollonii. Verum non fabulæ loco habuiſſe videtur Plinius ea, quæ apud ipſum leguntur lib.7. cap.2. *Arimaſpis*, inquit, *populis uno tantum oculo præditis* (qui habitabant ubi nunc Ingria, & Ducatus Novogradenſis & Pleſcovienſis in Moſcovia) *bellum eſſe aſſidue circa metalla cum Gryphis ferarum volucri genere, quale vulgo traditur, eruente ex cuniculis aurum mira cupiditate, & feris cuſtodientibus, & Arimaſpis rapientibus, multi, ſed maxime illuſtres Herodotus, & Proconneſius ſcribunt*. De hac Gryphum rapacitate eadem fere invenies apud Pomponium Melam lib.3. de ſitu Orbis cap.1. apud Solinum cap.20. apud Aurel. Caſſiod. l.1. ep.3. & apud Claudian. ep. ad Serenam: ſi eorum formam ac figuram requiras, illam tibi deſcribet Servius Maurus Honoratus ad Ecl. Virg.8. *Genus*, inquit, *ferarum in hyperboreis naſcitur mon-*


T. IX
AMORI
In Corniola
Nel Tesoro del S. Alt. il Duca Odescalchi

montibus omni ex parte Leones ſunt; alis, & facte Aquilæ ſimiles: ſunt equis vehementer infeſti; Apollini conſecrati: Cur autem Apollini conſecrati? Propter ſagacitatem, miramque in proſpiciendis futuris prudentiam concludit Thomas Dempſterus Paralip.ad lib.2.cap.7. Jo:Roſſin.Antiqu.Rom. Si hoc eſt, recte congruunt cum Gryphe laurei ramuli, cum habeantur ipſi quoque Apollini Sacri. Hinc Horatius lib.3.od.3.*Delphicam* & Ovid.3.Faſt. Phœbæam Laurum appellat, & Virg. Eclog.7.13. *Gratiſſima Phœbo Laurus*. Lauro enim neſcio quid fatidici ineſſe opinabantur, ut liquet ex illo Virg. l. 3. Æneid. verſ.359.

Trojugena interpres Divum, qui numina Phœbi
Qui tripodas, Clarii lauros, qui ſidera ſentis.

Et Claud. de rapt. Proſerp.

Venturi præſcia laurus.

Eamque ob cauſam in lauro bonum etiam omen conſtitutum eſſe putabant. Exemplum pono quod narrat Dio. l.48. Aquila Gallinam albam in Liviæ gremium abjecit, quæ lauri ramum cum baccis geſtabat. Livia, quod id oſtentum haud exiguum duceret, gallinam adſervavit diligenter; lauri autem ramum ſevit: atque is radicibus auctis adolevit ita, ut poſtea frondes triumphantibus diu admodum ſuppeditaverit.

Jam vero habemus ſagacitatem in Gryphe, providentiam & in Gryphe ipſo, & in Lauro. In Clypeo quis neget cautionem denotari, quandoquidem eſt a κλέπτω, tegere, quod hominem tegat? Hinc Virgil. Æn.2.

Objicere clypeos ad tela.

In Columna denique Conſtantiam ſignificari omnes norunt. Norunt pariter hujuſmodi virtutes in eo requiri, quicumque ſapienter amare velit.

Ex iis igitur, quæ hactenus dixi conjecturam hanc facio; geminos hic Amores eſſe; ſtultum nimirum, ac ſapientem, animo mihi fingo. Amor certe geminus eſt, & talis appellatur a Seneca in Hippolyto Act. I. v. 274.

Quam vocat matrem geminus Cupido

Et act. 3.

Concutit tædas geminus cupido

Ex geminis autem amoribus alium eſſe cæleſtem alium Vulgarem, docet Plato in ſympoſ., & Lucianus in dialog. Ἔρως, καὶ Ἀντέρως; de quibus Cælius Calcagninus ſingularem libellum compoſuit, mentionemque faciunt Cælius Rhodig. lib. 16. antiq. lect. & lib. 23. Auguſtinuſque Niphus de Amore cap. 19. 60. & 90. Atque hi ſunt Amores illi duo, quorum alter appellatur Honeſtus, ac Rationalis, alter vero Turpis, atque Animalis. Videſis igitur in dextera hujus Tabulæ parte ſtultum, vulgarem, turpem, atque animalem prorſus Amorem, qui in terram pronus, ſagittiſque unice acuendis intentus, nihil curat, quis, & quomodo, & quatenus ſit amandus. E contrario amor ſapiens, Honeſtus, & Rationalis manibus ad tergum rejectis, ut ſecum ipſi meditantes homines ſolent, in ſymbolis obſervandis defixus perſtat, quaſi ut iis virtutibus, de quibus antea diximus, ſagacitate nimirum, providentia, cautione, atque conſtantia ſe ipſum imbuat, ad quas poſtea illos informet, quicumque conſiderate, & ſapienter amare cupiant.

TA-



ESCVLAPIO

TABULA X.

ÆSCULAPIUS.

DE Æſculapio multa Pauſanias, & Plinius; multa iidem de ejus Templis, quorum aliqua Hygiæ ſimul filiæ dicata erant, nec non de illius Statuis, quæ ab ejuſdem Hygiæ ſimulacris non ſolebant eſſe disjuncta. In M. Aurelii Antonini nummo, in pluribus item æreis, marmoreiſque ſignis eodem ferme habitu, & cum iiſdem plerumque ſymbolis, cum quibus eſt in hoc Heliotropio, expreſſus conſpicitur. Nudato in primis pectore, quia, ut ait Jo: Henricus Meibomius ad Hippocratis jusjur. cap.5. *cum ſit Medicorum Deus, nihil non ſincerum, ac ſimplex in Medico eſſe debet. Barbatus præterea fingitur, quia qui eam artem exercent, magna prudentia, atque uſu præditos eſſe oportet.*

Falsò tamen dicitur in Priapæiis car.36.

Intonſa ſemper Æſculapio barba eſt.

Etenim a Phliaſiis imberbem fuiſſe cultum, & apud Sicyonios ſimulacrum ejus imberbe ex ebore, & auro extitiſſe teſtis eſt Pauſ. lib.2. c.10. & 13. Itemque Lucianus in Jove Tragædo. Immo Ovid. & Statius lib.3. ſylv.4. *Juvenem Phœbeum* appellant. In hac ſententia ſeſe eſſe Dionyſius ille Tyrannus oſtendit, qui, ut narrat Cic. lib.3. de natura Deorum, Æſculapii Epidaurii barbam auream demi juſſit; neque enim convenire barbatum eſſe filium, cum in omnibus Fanis Pater imberbis eſſet.

De

De Æſculapii baculo incredibile dictu eſt, quam multa, quamque incredibilia Mythologi commenti ſint; Euſebius ei illum attribuit, quod quaſi ægrotantium ſuſtentaculum eſſe dicat. Et cum in Dei hujus imaginibus nodoſus ſæpe numero appareat, *Æſculapius*, inquit Feſtus, *bacillum habet nodoſum, quod difficultatem ſignificat artis*. Cur autem Scipio hujuſmodi ſit ſerpente obvolutus, audiendus Theodoretus ſerm.7. *quod morborum malignitatem deſerunt ægrotantes ope Medici, ut ſuam veterem pellem ſerpentes*. Eadem fere habent Euſebius, & Macrobius. Hyginus vero de baculo, & angue ſimul fabellam hanc narrat. *Cum Æſculapius*, inquit, *Glaucum cogeretur ſanare, incluſus quodam loco ſecreto, bacillum tenens manu, cum quod ageret, cogitaret, dicitur anguis ad bacillum ejus arrepſiſſe, quem Æſculapius mente commotus interfecit bacillo, fugientem feriens ſæpius. Poſtea fertur anguis eodem veniſſe ore ferens herbam, & in capite ejus impoſuiſſe. Quo facto loco fugiſſe. Quare Æſculapium uſum eſſe herba eadem, Glaucum revixiſſe; itaque anguis in tutela Æſculapii eſſe dicitur.*

Cæterum Cic. l.3. de natura Deorum Æſculapios tres numerat. *Æſculapiorum*, inquit, *primus Apollinis, quem Arcades colunt, qui ſpecillum inveniſſe, primuſque vulnus dicitur obligaviſſe. Secundus Secundi Mercurii Frater. Is fulmine percuſſus dicitur humatus in Cynoſuris* (*Cynoſura*, inquit Stephanus, *ſummitas quædam eſt Arcadiæ nomen habens a Cynoſuro-Mercurio*). *Tertius Artippi, & Arſinoes, qui primus purgationem alvi, dentiſque avulſionem, ut ferunt, invenit*,

nit, cujus in Arcadia non longe a Luſio flumine ſepulcrum, & lacus oſtenditur.

Cornelius verò Celſus in Præfat. vetuſtiſſimum Authorem Æſculapium celebratum eſſe, ait; qui quoniam adhuc rudem, & vulgarem hanc ſcientiam paulo ſubtilius excoluit, in Deorum numerum receptus eſt. Hujus deinde duo filii Podalirius, & Machaon bello Trojano ducem Agamemnonem ſecuti, non mediocrem opem commilitonibus ſuis attulerunt.

Gallus huic Deo ſacer erat propter vigilantiam, quæ virtus Medicorum propria eſſe debet. Et ob eam fortaſſe cauſam huic Deo Socrates Gallum teſtamento moriturus reliquit. De hac ipſa re Servius in 2. Georg. v. 380. *Habitus eſt, inquit, Æſculapius ægrorum Deus, eorumque votis, & precibus fatigabatur, cui capram immolabant, & Gallinam, & Gallum Gallinaceum.*

Epidauri, quæ erat Urbs in Peloponeſo (nunc *Aeſculapio, Rigiada, vel Cheronisſi*) Æſculapio templum Satis amplum dicatum fuit; inde Epidaurius cognominatus. Cum Romani ſæviſſima peſte laborarent inſpectis Sybillinis libris didicerunt, non aliter priſtinam recuperari ſalubritatem poſſe, quam ſi ab Epidauro, ubi plurimum colebatur, Aeſculapius eſſet accerſitus. Itaque miſſis Epidaurum legatis prægrandis Serpentis Specie Romam navi advectus in Inſulam Tiberinam, ubi templum ei dicatum eſt, tranavit, adventuque ſuo peſtem omnem diſpulit. Hæc ex Valer. Max. lib. 1. cap. 8. Narrantur, & ab Ovid. lib. 15. Met. Templum erat ubi nunc S. Bartholomæi. De Jovis, & Aeſculapii templis in eadem Inſula Ov. lib. 1. Faſt., deque tota hac re anno 1750.

in Palatio Quirinali doctiſſime Reverendiſſimus Pater Petrus Bianchi S. Officii Conſultor meritiſſimus diſputavit.

Jacobus Sponius Miſcell. Erud. Antiquit. Sect. 9. profert Statuam Æſculapii cum baculo, & ſerpente, prope quam ſtatua alia longe minor Theleſphori, ut in aliis quoque monumentis apparet. Theleſphorus Æſculapii comes eſt juvenis imberbis cucullata veſte indutus. Dicitur Teleſphorus quaſi τέλος φέρων *finem afferens morbi*. Cucullata lacerna ægrotorum ſtatum deſignat, qui non ſecus ac pueri, ad aeris injurias vitandas illa utebantur.

TABULA XI.
HERCULES.

LEO Nemeæus dictus in terras e Lunæ globo deciderat, in montem videlicet prope Nemeam, quæ erat Arcadiæ Rupes, & Sylva. Indicat hoc Senec. in Thyeſt. act. 1.

Leo flammi feris æſtibus ardens
Iterum e cœlo cadet Herculeus.

Et confirmant Nigidius, & Arati latinus Interpres; Claudianus item in Præfatione ad Florent. Hic autem Leo, ut omnes ſciunt, idem ille eſt, quem Hercules interfecit. Idem Seneca in Herc. Fur.

Maximus Nemeæ timor
Gemuit Lacertis preſſus Herculeis Leo.

Pugnam autem deſcribit in Oeteo v. 1233. Claudianus etiam in laudib: Herculis, Theocrituſque Idill. 6. Leonem ſic interfectum Jupiter in cœlum tranſtulit, ſublimiorique in loco poſuit, quam antea fuerat,


T. XI
HERCOLE
In Niccolo

rat, nam ſignum cœleſte viginti ſeptem ſtellarum effecit.

Leonis hujus pellem geſtabat Hercules armaturæ loco, ut pote quæ, ut ſcribit Diodorus Siculus, tantæ erat duritiæ, ut nullo telorum genere perforderetur. Sagittæ, Pharetra & Arcus arma etiam Phebi ſunt propria. Iis uſus eſt Hercules, contra Neſſum Centaurum, cum Dejaniram conjugem rapere ſibi vellet. Eam recte Ovidius epiſt. 9. 24. *domitricem ferarum* appellat, & lib. 1. Faſt. 115. *Trinodem*. Clava, quam ſiniſtra manu tenet, eſt ille arboris truncus, quo tot monſtra Herculem domuiſſe Poetæ fabulati ſunt. De arboris trunco, quem prope Clavam videmus, quæri poteſt, cur non Oleaſtrum eſſe dicamus cum Pauſania in Eliacis, cujus ſtirpem ipſe primus ex Hyperboreis in Elidem deportavit? Hæc arbor alio nomine appellabatur Calliſtephanos, vel Coronarium, ut docet Ariſt. mirab. Auſcult. cap. 50. Ex ejus enim ramis texebantur coronæ illæ, quæ in ludis Olympicis erant victorum præmia. Vide Pauſaniam ibidem. Horum autem ludorum Hercules ipſe inſtitutor creditur extitiſſe. In Collectaneis Antiquit. Rom. Tab. 89. Hercules eſt a duodecimo labore quieſcens, cum aurea poma Euriſthei juſſu ex hortis Heſperidum abſtuliſſet. Herculem etiam hunc a labore, quem in Leone interficiendo pertulerat quieſcentem, quominus appellemus, nihil prohibet.

TA-

TABULA XII.

HERCULES.

BUBULUM caput, ſuper quod clava Hercules defatigatus innititur, Tauri certe illius eſt, cui Neptunus furorem immiſit, ut Inſulam Cretam vaſtaret. Taurus autem hic domitus, tamquam octavum egregium Herculis facinus ab Auſonio celebratur Idill. 19.

Octava expulſo numeratur gloria tauro

Quamvis Apollodorus lib. 2. ſeptimum laborem Herculis eſſe dicat.

Rem totam Diodorus Siculus ſic narrat. *Suſcepit deinde onus Tauri in Creta, quem Paſiphae amabat, deducendi. Eo in Inſulam navigans Minois Regis auxilio Taurum in Peloponeſum, longum profecto maris iter, deducit.*

Neptuniæ iræ cauſas Pauſanias in Atticis memorat. Quia nimirum Minois late mari toto imperans Neptuno nihilo majorem, quam Diis cæteris honorem habuiſſet. Hyginus fab 38. addit, Taurum hunc fuiſſe *ignivomum* adductumque ab Hercule in Campum Marathonium ad Euriſtheum, & ibidem occiſum: Hoc ipſum indicaverat Ovidius 7. Met.

Mirata eſt Marathon Cretæi Sanguine Tauri.

Meminit etiam Martial. lib. de Spect. 27. Meminerat etiam Virgilius lib. 8.

Tu Creſſia mactas prodigia,

& pluribus in locis Seneca Tragædiarum Scriptor:

Clau-

Digitized by Google


T. XII.
HERCOLE
In Corniola


T. XIII.
L'AURORA E CEFALO
In pasta Azzurra

Claudianus Taurum hunc non ab Neptuno immiſſum, ſed è Lunæ cœlo demiſſum in Cretam canit.

Taurus medio nam ſydere cœli
Progenitus Dictæa Jovis poſſederat arva
Fulmen abore venit, flammiſque furentibus ardet.

Etenim Pythagoræi cenſebant omnia, quæ apud nos ſunt, flumina, feras, montes etiam in orbe Lunæ reperiri, ut docet Achilles Statius. Vide Politian. Miſcell. 17.

TABULA XIII.

AURORA, ET CEPHALUS.

IN hac gemma factitia ſatis clare Cephali raptus apparet. Aurora enim cum hujuſmodi velamine ſupra caput expanſo pingi ſolet, & etiam a Poetis deſcribi: qua de re Virg. in epigrammatis.

Aurora Oceanum croceo velamine fulgens liquit &c.

Ob id ipſum ab Antimacho appellatur Ἑανίπεπλος ab Eano veſte lucida, & tenui. Aurora autem fuit Hyperionis, & Thiæ filia, ut docet Heſiodus Theog. vel Pallantis Gigantis ut Ovid. l. 15. Met. & 6. Faſt. unde Pallantias; vel Titanis, & Terræ, ut alii apud Gyrald. Hiſt. Deor. Syntagm. 7. Nupſit Tithono Læomedontis filio, ex quo Memnonem concepit: de quo Memnone Virg. l. 1. Æneid. unde Tithonia Conjux eſt dicta. De Aurora ſeorſim ſatis. Pauca nunc de Cephalo. Cephalos Æolides dictus eſt a Poetis, quia Æoli nepos. Cæterum Strabo lib. 10., & Pauſanias in Atticis

Dionei filium illum faciunt. Hyginus item fab. 48. & 271. Sed fab.241. Dionis, ſive Mercurii filium eſſe ait, & fab.278. Pandionis. Uxorem habuit Procrin, ut eſt apud eumdem Hyginum, & ſæpius apud Ovidium; Procrin inquam Erecthei, ſive Ericthei Athenienſium Regis filiam, ſive Iphicli, ut opinatur Servius. Hanc ille inſciens, & imprudens inter virgulta latitantem occidit. Fabulantur igitur Poetæ Cephalum ab Aurora fuiſſe ob inſignem pulchritudinem ſummopere dilectum, & inter venandum ab ea raptum. De hoc raptu Pauſanias in Atticis: *Eſt enim*, inquit, *in fabulis, egregia ſpecie juvenem Cephalum ab Aurora raptum, quod ejus amore capta eſſet*. Et paulo poſt: *Erat Ceramicus Urbis via, in qua, quæ primo ad dexteram ſe oſtendebat Porticus, Regis dicebatur. Circaque ejus Porticus tectum erat inter alias fictilis ſtatua Auroræ Cephalum rapientis*. Strabo lib.10. de Inſula Cephalenia loquens dicit aliquos affirmaſſe eamdem eſſe, ac Dulichium, alios vero eamdem, ac Taphon. Taphios vero non alios eſſe, quam Cephalenios, atque Teleboas. Et quidem ſententiæ hujus authores illud addere: Amphitryonem eo in expeditionem exercitum eduxiſſe, adſcito Cephali Dionei filio Athenis exulante, occupatamque inſulam Cephalo tradidiſſe, & a Cepbalo Cephaleniam cognominari ceptam. Verum opinio hæc cum pluribus Homeri locis non valde congruit. Illud memoratu dignum eſt, C. Antonium M. Antonii Patruum, quique in Conſulatu Ciceronis Collega fuerat, quintam in Cephalenia Urbem extruxiſſe; non tamen abſolviſſe; totamque Inſulam in poteſtatem habuiſſe. Ita ibidem Strabo.

TA-



Google

TABULA XIV.
GRATIÆ.

GRATIÆ latine, græce autem Χάριτες, tres numero ſunt; eaque in re fere omnes conſentiunt. Inter quos Theocrit. Idill. 16. Meleager Antholog. l. 1 cap. 27. ep. 1. & Paulus Silentiarius in eadem Antholog. l. 7. ep. 46. ex latinis Auſ. ep. 114. & Martianus Capella lib. 2. de Nupt. Mercur., & Philol. *De numero earum*, inquit Thomas Dempſterus in Paralipomen. ad cap. 10. lib. 2. Antiquit. Rom. Jo: Roſin. *nemo dubitat, quin tres fuerint*. Dubitat tamen Lil. Gregor. Gyrald. Syntagm. 13. Hiſt. Deor. ubi dicit: *Gratias aliqui duas, alii tres, alii quatuor eſſe, dixerunt*. Et merito; nam Pauſanias in Bœotic. duas tantum ponit Clytam, vel Clyto, & Phaennam Taygetæ filias; quas Lacedæmonii coluerunt, affirmatque inſuper, duas etiam apud Athenienſes fuiſſe, nimirum Auxo, & Hegemona. Tres tamen vulgo numerantur; nominaque illarum Orpheus in hymno Gratiarum ſic profert?

Ἀγλαΐη τε θάλεια, ἐ εὐφροσύνη πολύολβε
Χαρμοσύνης γενέτειραι ἐραταί.

Aglajaque Thaliaque, & Euphroſyne dives.
Gaudii genetrices amabiles.

Plutarchus ordine alio in lib. *Philoſopho cum principibus viris eſſe diſputandum* Aglaja, Euphroſyne, & Thalia. Prima igitur appellatur Aglaja ab ἀγλαΐα *ſplendor* quia ſplendide, & magnifice beneficium eſt dandum. Altera θάλεια a θαλλω *germen*, ſeu *ramus virens*, quia beneficii memoria ſemper vivere debet.

debet. Tertia Εὐφροσύνη ab Εὐφροσύνη *lætitia*; quia & in accipiendo, & in dando beneficio lætari congruum eſt. Homerus Iliad. . unam appellat Paſitheam & Placid. Lactant. in lib. 2. Thebaid. 284. *nomina*, inquit, *Gratiarum ſunt Paſithea, Aglaja, Euphroſyne*. Verſus Statii eſt hic:

Non hoc Paſithee blandarum prima Sororum.

Quod ad genus attinet, Sorores eſſe dicuntur; Heſiodusque in Theogonia vult Jovis & Eurynomes eſſe filias; Servius verò in 2. Æneid Liberi, & Veneris. Unam communi nomine χάρις nuncupatam Homerus Iliad. 6. Vulcano in matrimonium dat; quod non cohæret, cum Senecæ doctrina lib. 1. de Benef. cap. 3. Gratias omnes eſſe Virgines affirmantis. Seneca ibidem pollicetur ſe explicaturum, quare Gratiæ ſint Sorores; ſed promiſſa non facit. Explicat ſolum quare ſint numero tres, nimirum quia una dat beneficium: altera accipit: tertia reddit; vel quia tria ſunt beneficiorum genera; promerentium, accipientium; accipientium ſimul, atque reddentium. Explicat etiam quare ſint juvenes, quare virgines, quare conſertis manibus inter ſe. Omnia nota ſunt, & ſi cui nota non eſſent, poteſt illa apud Senecam ipſum, & Andream Alciatum perlegere Emblem. 462. Quod autem una averſa pingatur, duæ ad nos converſæ, ea ſignificatio eſt, duplicem pro accepto beneficio gratiam rependi oportere; vel, ut interpretatur Fulgentius Mytholog. l. 2. *Huic* (Veneri) *etiam tres Charites adjiciunt, duas ad nos converſas, unam a nobis averſam, eo quod omnis gratia ſimplex eat, duplex redeat.*

Adji-

Adjiciuntur Veneri comites, quod indicat etiam Servius loco citato, ubi ſic: *Acidalia Venus dicitur, vel quia curas injicit, vel a fonte Acidalio, qui eſt in Orchomeno Bœotiæ Civitate, in quo ſe Gratiæ lavant, quas Veneri conſtat eſſe Sacratas*. Ex Plutarcho aliqui animadverterunt una cum Suada, & Mercurio collocari ſolitas. De Nympharum autem ſocietate eſt illud Horatii lib. 1. od. 4.

Junctæque Nymphis Gratiæ decentes.

Et quidem Nymphas eodem modo connexas, ac Gratiæ noſtræ ſunt, oſtendit marmoreum anaglyphon in lib. Inſcripto: Epigrammata antiquæ Urbis de Regione Harenulæ pag. cv. ubi inciſa hæc verba ſunt:

B A T I N I A
P R I S C I L L A
N Y M P H I S
S A C R V M

Cujus noſtræ fere ſimilem Gratiarum trium effigiem in Cameo profert Leonardus Agoſtini parte 2. Tab. 51. Sed rectè incidit illa ſuſpicio tres Deas alias, & quidem majorum gentium eſſe poſſe, nimirum Venerem, Palladem, & Junonem; propterea quod una Galeata eſt, altera pomum in manu habet, Tertia lauri ramum, qui Jovis Uxori propter Jovem ipſum convenire poteſt.

TABULA XV.
PAX.

PAcis in nummis effigies varias Pacis aſpicimus. Modo accenſa face cumulum armorum incendit: modo cornucopiam in manu tenet, modo virgam, modo etiam Caduceum, vel Oleæ ramum, ut in hoc onyculo. Tamquam pacis ſymbolum Poetæ ſæpe Oleæ ramum accipiunt. Virgilius inter cæteros lib.7.

Centum Oratores auguſta ad mœnia Regis
Ire jubet ramis velatos Palladis omnes.

Et lib.7.

Paciferæque manu ramum prætendit Olivæ.

Et lib.11.

Jamque Oratores aderant ex Urbe Latina
Velati ramis Oleæ, veniamque rogantes.

Præterea ſicuti in nummo T. Claud. Cæſ. ita etiam hic Pax manum oculis objicit, & velum obtendit, ne ſerpentem aſpiciat, quem etiam ſiniſtro pede conculcat, ſignificare volens, quemadmodum aliqui interpretantur, belli odium. Alæ autem illi affinguntur, ut cæleſte planè donum eſſe, & è cælo ſolum expectandum intelligamus.

Paci tamquam Deæ honores fuiſſe habitos Juvenalis indicat Sat.1. v.115.

Ut colitur Pax, atque Fides, Victoria, Virtus
Quæque ſalutato crepitat Concordia nido.

Plu-


T. XV.
LA PACE
Niccolo
Nel Tesoro del Alt. il Duca Odorcalchi

Plutarchus in Cimone Athenis Pacis aram dicatam fuiſſe, ſcribit, cum conditiones pacis Athenis Callias legatus a Perſis attuliſſet. Romæ tamen Auguſto, ac Tiberio regnantibus nullam Pacis ædem in Urbe memoratu dignam fuiſſe reperio; ara tantum, vel ædicula fortaſſe fuit. Poſtea vero ei Templum magnificentiſſimum Foro proximum a Claudio inchoatum Veſpaſianus abſolvit, ut Joſephus, Plinius, Svetonius, & Dion teſtantur. In hoc Templo vaſa, & donaria Hieroſolymitani templi a Tito, & Veſpaſiano repoſita fuiſſe Hieronymus, & alii ſcripſere. Templum hoc idem fuit a Domitiano auctum, ſed poſtea, ut eſt apud Herodianum lib. 1., Commodo imperante fuit incendio conſumptum. In hoc templum omnium rationalium artium Profeſſores convenire ad diſputandum conſueviſſe, Galenus in ſermone de Libris propriis docet. Ægrotos quoque locum hunc frequentare ſolitos ex Galeni verbis contendit Gyraldus Syntagm. 1. Hiſt. deor. Sed merito illum erroris Hieronymus Mercurialis lib. 1. cap. 13. variarum lectionum coarguit, Galeni ſententiam explicans. Galenus enim initio libri primi de differentiis pulſuum Medicos ſui temporis reprehendens, quod de nominibus pulſuum futiliter contenderent, ait ſæpe numero inter eos excitatas eſſe contentiones ſimiles illis, quæ inter Medicos in templo Pacis ſuper ægrotis diſputantes oriri ſolebant. Conveniebant igitur illuc Medici, non ægroti.

TABULA XVI.

SACRIFICIUM PALLADI.

HABEMUS in hoc Beryllo ſacrificium. Numen cui fit, Pallas eſt. Victima eſt Vacca. Immolator eſt Genius. Pallas de more galeata eſt, atque haſtata. In ſcuto, quia eſt a nobis averſum, Meduſæ Gorgonis caput non apparet. Solet Meduſæus hic vultus etiam ejus pectori ſæpenumero accommodari. Mart. lib.7.

Accipe belligeræ crudum thoraca Minervæ;
Ipſa Meduſææ quem timet ira Deæ.

Talis etiam eſt effigies muſivo opere elaborata, quam in cubiculi pavimento aliquot ab hinc annis in Tuſculano noſtro deteximus. In ea autem non ſolum ex pectore ipſo, ſed etiam ex capite circumquaque ſerpentes prodeunt. In Muſeo Etruſco Vir Clariſſimus Antonius Franciſcus Gori Minervæ ſtatuam exhibet, circa cujus pectus ſerpentes duo ſunt, & alius ſupra galeam.

Galeam Græcæ Pallades habent eminentiorem, qualem in antiqua monochrommatea hoc eſt unius coloris clari, partim obſcuri pictura perantiqua videre unuſquiſque poteſt, quam in Kirkeriano aſſervamus, qualemque mihi in antiquo anaglypho ex auro pereruditus, ac humaniſſimus Marchio Jo: Petrus Lucatellus oſtendit; qualis denique paſſim in aliis veterum monumentis occurrit. Rarior tamen galea illa eſt, quam gerit ejuſdem Deæ ſimulacrum æneum grandiuſculum apud Em. Alexandrum Cardinalem Albanum. In ejus enim ga-

leæ

Digitized by Google



SACRIFICIO A PALLADE
In Acqua Marina

leæ anteriori parte equina capita plura ſunt ; in ſummitate vero ſphynx inter equos duos omnino integros.

Cæterum Minervæ a Cic. l.3. de Nat. Deor. numerantur omnino quinque . Minerva Prima, quam Apollinis matrem eſſe , ait. Secunda orta Nilo, quam Ægyptii Saitæ colebant. Tertia, quæ generata Jove fuit . Quarta Jove nata , & Coriphe Oceani filia, quam Arcades Coriam nominabant, & quadrigarum inventricem eſſe ferebant. Quinta Pallantis, quæ patrem dicebatur intereniſſe virginitatem ſuam violare conantem , cui pinnarum talaria affingebant . Cicero idem docet , Minervam dictam eſſe a minuendo, vel minando ; a minando facilius intelligitur , quia ex Jovis capite proſiluit armata . Arnobius quaſi Meminervam appellatam eſſe , ait , quod a quibuſdam eadem eſſe , ac Memoria affirmetur . Feſtus mavult dici Minervam , quod bene moneat . Minervam Cuſtodem Cicero domi ſuæ privatim coluit , quam poſtea abiturus in exilium in Capitolium detulit , & conſecravit : Dio l. 38.

Hactenus de Dea cui ſacrificatur . Pauca nunc de victima . Eam vero artifex Vaccam jure optimo eſſe voluit: nam Ovid. l.14. Met. fab.19.

Mactatur Vacca Minervæ ,
Alipedi vitulus , Taurus tibi , ſumme Deorum.

Et Auſon. epig.64.

Ærea bos ſteteram, mactata eſt Vacca Minervæ.

Jam vero immolatorem Vaccæ non alium eſſe puto, quam Genium, utpote quem alatum conſpicio;

cio; Genium inquam alicujus, qui ſe ſapientem eſſe cuperet. Nam *alii nonnulli*, inquit Gyraldus Hiſt. Deor. Synt.xv. *extitere, qui Genios animas quorumcumque rationales interpretati ſunt*. Nihil autem mirum, ſi ob ſapientiam conſequendam ſtulti illi Ethnici Minervæ auxilium expoſcerent; ſiquidem eſſe artium inventricem, & ſapientiæ Deam arbitrabantur. Quare autem, & quomodo ſapientiæ Dea habita fuerit, S. Iſidorus ſic explicat: *Quia Sapientia in capite dicitur eſſe hominis, & Minerva de Jovis capite nata fingitur: hoc eſt ingenium; ideo ſenſus ſapientis qui invenit omnia, in capite eſt.*

Ramulum Columellæ adhærentem facile conjicere poſſumus eſſe Oleæ, cujus inventricem fuiſſe Minervam omnibus compertum eſt.

TABULA XVII.

BACCHI SACERDOS.

EFFIGIEM huic noſtræ valde ſimilem in Onyche profert Leonardus Agoſtini Gemme Figurat. p.2. Tab. 16. adſcriptumque etiam ibi eſt: *Bacchi Sacerdos*, quamvis ipſe ſuſpicetur eſſe Bacchi ipſius imaginem, non Sacerdotis. Senator item Bonarota aliam habet effigiem Oſſervazioni Iſtoriche pag.440. eodem plane habitu, atque veſtitu, iiſdemque inſignibus in Topatio, diſerteque affirmat eſſe Bacchum ipſum, non Bacchi Sacerdotem. Bacchus quidem, ut ipſe ait, pingebatur plerumque juvenis, & imberbis, quod indicavit etiam Tibullus l.1. eleg.4.

Solis

Google


SACERDOTE DI BACCO

Solis æterna eſt Phœbo Bacchoque juventa.
Nam decet intonſus crinis utrumque deum.

Immo etiam puer, ut eſt apud Ovidium lib. 4. Metam. Cur autem ita pingeretur, Fulgentius rationem his verbis reddit l. 2. Mytholog. *Dionyſius juvenis ideo pingitur, quia numquam ebrietas matura eſt.* Nudus autem etiam effingebatur, quia ut interpretatur Phornutus vinum ingenium, & mores patefacit. Tamen ſenis, ejuſdemque barbati ſpecie aliquando formari ſolebat præſertim Bacchus ille primus, Indus, & antiquiſſimus, quod memoriæ prodidit Diodor. lib. 4. & 3. immo etiam veſtitus teſte Pauſania, lib. 2. cujus ſimulacrum erat apud Æginetas, Τῇ δὲ Ἀρτέμιδι ἐστὶν ἐσθὴς, κατὰ ταὐτὰ δὲ καὶ τῷ Διονύσῳ. καὶ γένεια Διόνυσος ἔχει πώγωνος. *Diana veſtem habet, ſicut Dionyſius factus eſt cum barba.* Veſtis autem talaris, ejuſdem Dei, vaſque illius aureum expreſſa erant in Arca Cipſeli, ut ſcribit idem Pauſanias lib. 5. Διόνυσος δὲ ἐν ἄντρῳ κατακείμενος γένεια ἔχων καὶ ἔκπωμα χρυσοῦν, ἐνδεδυκώς ἐστι ποδήρη χιτῶνα. *Dionyſius jacet in antro Barbam habet, & vas aureum indutus talari tunica.* Tamen fieri poteſt, ut effigies hæc ipſa non ad Bacchum, ſed ad Bacchi Sacerdotem pertineat. Thyrſus enim non minus Baccho, quam ejus Sacerdotibus tribuebatur. Vas pariter anſatum poteſt eſſe Præfericulum in Sacrificiis adhiberi ſolitum, quod cum de Baccho ſermo eſt, appellatur Cantharus, ut monet Pierius Valerianus lib. 15. Hieroglyphic. ubi etiam illius formam, ac figuram deſcribit. Veſtem denique, quam eſſe Crocotam exiſtimamus, Sacerdotum Bacchi eſſe propriam, inficiabitur opinor nemo. Nam Athenienſibus Baccbanalia agitantibus κρόκωτον a Philoſtrato

ſtrato lib.4. cap.7. adſcribuntur. de Tyrſo, & Crocota paulo ſuſius in ſequenti tabula diſſeremus.

TABULA XVIII.

BACCHI SACERDOS.

HUnc etiam unum ex Bacchi Sacerdotibus eſſe, adducor ut credam ob Thyrſum in ejus dextera, & ob veſtimenti genus. Thyrſum Macrobius lib.1. Satur, cap.9. ſic deſcribit: *Telum cujus mucro hedera lambente protegitur*. Cum frondes hederæ in veterum monumentis non appareant haſtæ vel baculo circumvolutæ, quemadmodum a recentioribus quibuſdam depingi ſolent, conjicit Clariſſimus, eruditiſſimuſque Senator Bonaroti Oſſervazioni Iſtoriche pag.434. paniculam illam in Bacchi, & Bacchantium ſummis haſtis impoſitam ſignificare hederam ipſam ſquammatim in modum coni concinnatam, ſub qua ferrea cuſpis lateret, & quam, ob ſimilitudinem quamdam, nucem eſſe pineam aliqui crediderunt. Huic opinioni ſuffragatur antiqui epigrammatis verſus.

Sutilibus Liber commiſit prælia thyrſis.

Hinc factum eſt, ut deinceps in haſta illa extaret panicula hederacea ſine ulla cuſpide, ne cuiquam noceretur, ut docuit Lucian. in Bacch. Tom.2. pag.510. Immo, ut ſcriptum reliquit Diodorus lib.4. & Plutarch. in Sympoſ. & Euſeb. de præparat. l.2. cap.3. ob eamdem cauſam Bacchus ipſe haſtæ illi ferulam ſive Narthecen ſubſtituit; baculum ſcilicet longe leviorem, minuſque ſolidum, a quo, qui eum geſtabant *Nar-*


T. XVIII.
SACERDOTE DI BACCO
In Corniola
Nel Tesoro dell'Alt. il Duca Odescalchi

Narthecophori nuncupati. Huic autem ferulæ eodem modo conſutam hederaceam paniculam imponebant. In quam ſententiam Euripid. in Bacch. viii. νάρθηκα θυρσωτὸν dixit, hoc eſt *ferulam Thyrſo ornatam*. Hinc autem intelligi facile poteſt, modo ſolum illum conum, modo haſtam ipſam una cum cono impoſito fuiſſe Thyrſi nomine nuncupatam. Quod ad veſtimenti genus attinet, poſuimus in ſuperiori Tabula eſſe Crocotam, non quidem, ut in illa imagine, convolutam, atque contractam, ſed omnino expanſam, & explicatam. De ea Cic. de Haruſpicum reſponſis. *P. Clodius a Crocota, a mitra, a muliebribus ſoleis, purpureiſque faſciolis eſt factus repente Conſularis*. Erat enim veſtis muliebris Crocci coloris; Unde *infectores Crocotarii* apud Plautum Aulul. 3. 5. Quamvis autem eſſet muliebris, tamen viros etiam Bacchi feſta agitantibus ea uti ſolitos, ſupra demonſtravimus. & ad Bacchum ipſum pertinere confirmamus ex loco Scholiaſtæ Ariſtophanis, ubi Crocotam Bacchicum geſtamen, & muliebre indumentum interpretatur. Vide plura apud Ferrarium de re veſtiaria lib. 3. c. 20. & apud Senatorem Bonarota Oſſervat. Iſtoric. pag. 55. Ferrarius vocabulum Italicum *Cotta* a Græco *Crocota* derivatum eſſe contendit. Magrius in Hierolexico mavult a Χιτὼν Tunica. De capitis faſcia, & vittis, quibus alligatus eſt Thyrſus nihil dico; conſtat enim inter omnes, eſſe ornamenta muliebria, adeoque etiam Bacchica, & in ſacrificiis hujuſmodi a Bacchi Sacerdotibus adhiberi ſolita.

TABULA XIX.

SOCRATES.

QUÆ de Socrate, Plato, Xenophon, Diogenes Laertius, & Tullius ſcripſerunt, ſummatim exponam. Fuit Sophroniſci fictoris, & Phenaratæ Obſtetricis filius in Oppido Alopecis natus. In famulatu aliquamdiu fuit, & ſtatuariam exercuit, quæſtum fecit, & ſtipem coegit. Ex officina a Critone abductus ad liberales diſciplinas ſe dedit. Una cum Euripide dramata ſcriptitavit. Anaxagoram, & Archelaum Philoſophos audivit. Rhetoricam aliquamdiu docuit, ſed quod irriſor eſſet, ac dicax, vetitus eſt deinceps docere triginta Tyrannorum decreto; cujus decreti author fuit præcipuus unus ex illis, nimirum Critias iratus Socrati, quod ab eo in amore Euthydemi acriter reprehenſus fuiſſet. De moribus plerumque diſputavit, quam Philoſophiæ partem, cæteris omnibus prætulit.

Erat autem in rebus hiſce ejus oratio tam vehemens, ut ſæpe non ſolum irriſus, ſed pugnis etiam, & calcibus conciſus fuerit. Militavit ad Amphipolim, maritimoque etiam bello ad Potidæam ad Pithonem, & ad Iſthmum. Frugalitas ejus, & parcitas mira, mercedemque exigebat nullam. Aliquando tamen pretioſa indutus eſt veſte, ut in Platonis convivio. Canere lyra didicit, quotidieque ſaltabat, & exercitationem hanc valetudini perutilem exiſtimabat. Duas uxores habuit Xantippem, & Myrtho. Et quidem Xantippes fæminæ moleſtiſſimæ injurias, & con-


T. XXX
SOCRATE
In Corniola

& convicia patientiſſime pertulit. Socratis virtutes videri poſſunt apud Scriptores, de quibus antea dixi. Ob ſapientiam ſingularem teſtimonium ei datum ſane quam honorificum a Pythia fuit, cum illud omnium ſermone celebratum oraculum edidiſſet:

Hominum omnium Socrates ſapientiſſimus.

ob eam rem magna ei conflata eſt invidia. Anytus, cujus ipſe jactantiam reprehenderat, in eum Ariſtophanem Poetam comicum concitavit; Melitoque perſuaſit, ut ejus nomen de impietate, ac de adoleſcentum corruptela deferret. Itaque accuſatores fuerunt Anytus, & Melitus ipſe, & Lycon. Defenſorem Platonem habuit ſed fruſtra. Pauciſque poſt diebus capite damnatus cicutam bibit. Facti uſque eo Athenienſes pænituit, ut palæſtras, & gymnaſia clauderent. Ex accuſatoribus Anytum, & Lyconem exilio multarunt, Melitum vero capitis condemnarunt; Socratique æream imaginem poſuerunt. Mortuus eſt ſeptuageſimo, vel, ut alii malunt, ſexageſimo ętatis anno, Olympiadis vero nonageſimæ quintæ anno primo. De illius morte ſic loquitur Cicero lib. 1. de divin. *Eſt*, inquit, *apud Platonem: Socrates cum eſſet in cuſtodia publica dicens Critoni ſuo familiari ſibi poſt tertium diem eſſe moriendum: vidiſſe ſe in ſomnis pulchritudine eximiam fœminam, quæ ſe nomine appellans diceret Homericum quemdam eiuſmodi verſum.*

Tertia te Phtiæ tempeſtas læta locabit.

Totam rem hanc mirifice in hac noſtra Corneola expreſſam videmus. In ſene illo humi ſedente facile Socratis vultum agnoſcimus. Matrona, quæ ſiniſtram illius manum apprehendit, fœmina eſt illa mortis prænuncia. Qui ſedet in ſella admirantis perſonam gerens, dubitari non poteſt, quin ſit

ſit ipſe Crito, cui Socrates ſomnium narrat. Columnam de more interpretari poſſumus eſſe Conſtantiæ ſignum. Vas illi ſuperpoſitum ornamenti cauſa eſſe additum; niſi velimus, eſſe lucernæ genus aliquod exiſtimare.

TABULA XX.

PYRRHUS.

IN Epiro primi regnarunt Moloſſi. Trojanis vero temporibus Ulyſſes. Huic, qui ſequuntur, hoc ordine ſucceſſerunt. Pyrrhus Achillis Filius. Pyrrho Helenus ille, cui nupſit Andromache, quæ antea Hectori nupta fuerat. Heleno Pialis. Piali quamvis longo intervallo Arryba. Arrybæ Neoptolemus filius Pater Olympiadis Alexandri Magni matris. Neoptolemo Alexander filius, alius videlicet a Magno, quique in Italia bello geſto in Brutiis interiit. Sequitur Æacides Alexandri frater, qui a populo in exilium pulſus, Pyrrhum alium ab illo, quem ſupra diximus *admodum parvulum*, ut Juſtini verbis loquar lib. 17. *in regno reliquit*; qui & ipſe cum a populo propter odium Patris ad necem quęreretur, furtim ſubtractus in Illyrios defertur, tradituſque eſt Beroæ Glauci Regis uxori nutriendus, quæ & ipſa generis Æacidarum erat. *Ibi cum Rex* (Glaucus) *adverſus Caſſandrum Macedoniæ Regem...protexit. Quibus rebus moti Epirotæ, odio in miſericordiam verſo, annorum* XI. *cum in regnum revocaverunt.*

Hic ille Pyrrhus eſt Bellator ſtrenuiſſimus, qui auxilio Tarentinis contra Romanos venit, quique


PIRRO RE
In Corniola

que Lævini Coſ. exercitum Elephantis immiſſis apud Heracleam turbavit, ac fudit. Sed à Curio poſtea, Fabricioque Coſs. ſuperatus, poſt multa ultro, citroque itinera in Græciam redire coactus fuit. Ibi dum Argos oppugnaret, tegulæ ictu proſtratus cecidit. Hunc certe Pyrrhum in hac noſtra Corneola exprimere artifex voluit. Clypeus, quem læva manu ſuſtinet, & haſta cui innititur, non ſolum Imperatoris munus, ſed virtutem etiam militarem ſignificant. *Lancea enim*, inquit Pierius Valerian. lib.42. Haſta verb. Fama, *in quacumque videatur imagine, præter militiam, ipſam famæ etiam celebritatem indicat*. Quod autem haſtam hanc ipſam inverſa cuſpide teneat, hanc celeberrimi Vaillantis interpretationem habere poteſt. Bellatoris egregii etiam eſſe pacis conditiones audire, & illam ubi opus fuerit cum hoſtibus conſtituere. *Quieſcendum*, inquit, *monet baſta inverſa*. Vaillant de Hiſt. Reg. Syriæ, ubi de Seleuco. Et ſane quomodo hac in re Pyrrhus ipſe, quomodo Romani ſe geſſerint, narrat Juſtinus his verbis lib.18. *Dum hæc aguntur Legatus a Senatu Romano Fabricius Luſcinus miſſus, pacem cum Pyrrho compoſuit, ad quam confirmandam Cyneas Romam cum ingentibus a Pyrrho donis miſſus, neminem, cujus domus muneribus pateret, invenit*. Grandiuſculam Regis hujus Protomam pectore thoracato, & capite galeato cumque ingentibus criſtis in Hortis Vaticanis extantem Ulyſſes Aldrovandus commemorat lib. *delle Statue di Roma*. Longe tamen celebratius, ac notius marmoreum Pyrrhi ſimulacrum eſt, quod in Monte Aventino, ut fertur, inventum, duobus millibus aureorum ab Angelo Maximo viro Civi-

tatis Romanæ primario coemptum olim fuiſſe Ulyſſes idem Aldovrandus teſtatur. Eſt ſtatura bene magna galeatum, ac thoracatum, ſublata in altum dextera, clypeum leva manu tenens, imaginique huic noſtræ plane ſimile: Poſtremis hiſce temporibus ex interiori porticu Maximorum in Capitolium tranſlatum fuit & exadverſum Muſei Capitolini ſcalis locatum. Ejus formam æri inciſam exhibet clariſſimus Jacobus Sponius in Miſcellan. pag. 139.

TABULA XXI.
CLEOPATRA.

EI quæ in hac Hyacintho ſpectatur effigies haud ſcio, an recte Cleopatræ Ægyptiorum Reginæ nomen adſcriptum fuerit. Qui hoc fecerunt, Plutarchi authoritate ducti fortaſſe ſunt. Is enim in vita M. Antonii. *Perhibent*, inquit, *aſpidem inter ficos illatam, foliiſque fuiſſe intectam. Ita enim juſſiſſe Cleopatram, ut ignorantis corpus beſtia invaderet. Ut tollens de ficis conſpexit eam, dixiſſe Cleopatram: nempe hic illa eſt, brachiumque nudatum morſui præbuiſſe. Alii incluſam hydriæ aſpidem, atque ita fuiſſe autumant aſſervatam, fuſoque aureo ipſam laceſſentis, & ſtimulantis arripuiſſe Cleopatræ brachium.* Atque hæc cauſa fuiſſe poteſt, quamobrem artifex in hac gemma, & caniſtrum cum aſpide, & in Cleopatræ ipſius manibus ſerpentem alium, & vaſculum illud poſuerit; quamquam alii aliter exiſtimarunt. Iis enim perſuaſum hoc fuit, Cleopatram veneno extinctam, non ita tamen, ut admotis corpori aſpidibus


CLEOPATRA

dibus ſibi mortem conſciſceret. Qua quidem in re latine reddam, quæ Italico ſermone in hanc ſententiam Franciſcus Redius vir doctiſſimus diſputavit Tom.2. Oſſerv. intorno alle vipere 13. *Sed ut illuc*, inquit, *unde ſum digreſſus, revertar, de flavo iterum liquore illo ſermonem inſtituam; qui in vaginis viperarum dentem contegentibus latet. Quem cum ore hauſtus neque belluis, neque hominibus mortem attulerit, ſuſpicati ſumus, nonniſi vulneribus impoſitum mortem afferre poſſe. Et ſane trium horarum ſpatio, ad ſummum quatuor, gallinacei, columbinique pulli perierunt omnes, quorum vulneribus hujuſmodi liquor immiſſus fuerit. Addo inſuper, æque noxium eſſe ex palato, aut vaginis viperarum vivarum extractum, ac ſi exprimatur ex mortuis poſt tres etiam dies, aut quatuor. Hoc ego ipſe in animantibus non paucis amplius centies perſpexi. Quæ quidem ob res in ea opinione ſum, Cleopatram, cum interimere ſe ipſam vellet, non corpori ſibi aſpidem admoviſſe, ut ejus morſu interiret, quod a nonnullis Scriptoribus memoriæ proditum eſſe video; ſed expeditius, atque celerius, ut author eſt ſcriptor libri de Theriaca ad Piſonem, brachium ipſam ſuum prius momordiſſe, aut alio modo ſauciaviſſe; vulneri deinde jam facto venenum inſtillaviſſe, quod ex aſpide expreſſum, paratumque in pixidula ob eam cauſam continuiſſet; vel, ut Dio Caſſius teſtatur, eam ſibi brachium crinali acu pupugiſſe eo veneni genere imbuta, quod nocere minime poſſet, niſi in ſanguinem per carnis punctionem ipſam influeret.* Et poſterius. *Huc accedit, quod mortua Cleopatra, nullus in eo cubiculo anguis repertus fuerit.*

fuerit. *Exploratumque nobis eſt, quantopere fœminis naturaliter inſitum ſit, ut animantium hujuſmodi non tactum ſolum, ſed etiam aſpectum refugiant*. *Neque illud mihi quiſquam objiciat, triumphante Auguſto Cleopatræ imaginem circumlatam, quæ aſpidem ſibi brachium jam jam vulneraturam conſtringeret*. *Hoc enim marte fortaſſe ſuo ingeniosus vel fictor, vel pictor excogitavit, ut ſic ſpectatores facilius intelligerent, quodnam voluntariæ mortis genus Regina illa delegiſſet, ne captiva in triumpho ab Auguſto Cæſare duceretur*. Hæc autem omnia non tanti ponderis eſſe puto, ut Imaginem hanc Deæ Hygiæ accommodari poſſe, non ſuſpicer. Siquidem eodem habitu ſerpentem geſtantis Hygiam in gemmis pluribus video, præſertim apud Cauſæum in opere inſcripto Gemme Antiche &c. Tab.12., & in ejuſdem Muſeo Romano Tom. 1. ſect. 1. Tab. 2., & ſect. 2. Tab.25. Quamquam in hac poſtrema Tabula Deæ Salutis nomine illam nuncupat, eo nimirum, quo Romani Græcam Hygiam patrium uſurpantes vocabulum appellabant. Quid ſerpens in manibus Hygiæ ſibi velit optimè inter cæteros Macrobius explicat lib.1. Sat. cap.20. *Ideo*, inquit, *ſimulacris eorum* (Æſculapii, & Salutis, ſive Hygiæ) *junguntur figuræ draconum, quia præſtant, ut humana corpora velut infirmitatis pelle depoſita ad priſtinum reviviſcant vigorem, ut revireſcunt dracones per annos ſingulos pelle ſenectutis exuta &c.* Hunc vigorem ipſum, ac robur quadrangulæ figuræ columella ſignificat, in quam Dea cubito innitens conſpicitur. Vas autem in ſiniſtra manu irrigationem indicare poteſt ſtirpibus ſalubribus alendis,


SOLDATO CON LA VITTORIA
T. XXII
In Corniola

dis, & corporibus ipſis perutilem. Plinius lib.34. cap.8. hujus Deæ ſtatuarum quarumdam mentionem facit. *Nicerates*, inquit, *Æſculapium* (ex ære fecit) *& Hygiam, qui ſunt in Templo Concordiæ Romæ..... Pyrrhus Hygiam, & Minervam*: & lib.35. cap.11. depictæ a Socrate Imaginis. *Socrates Pictor jure omnibus placuit, taleſque ſunt ejus picturæ, cum Æſculapio, Hygia, Ægle, Panacea, Jaſo*. Simulacrum ejus e candido lapide commemorat Pauſ. in Corinth. Unum etiam in Atticis, ubi aliud ejus ſignum, quod Briaxis fecit: In Laconicis vero Æſculapii, & Hygiæ templum. Hujus etiam inquit Gyrald. Syntag.7. peculiaris hymnus Orphei legitur cum thymiamate mannæ thuris, cui pulcherrima cognomina etiam adſcribit.

TABULA XXII.

MILES CUM VICTORIA.

SI cujus Bellatoris egregii ſignificare veteres virtutes vellent, Victoriolæ ſignum, modo retro, & a tergo ſtantis, modo ſupra Victoris ipſius dexteram erectæ in ejus imagine collocabant. Atqui hoc ferme pacto præclari hujus vel Militis, vel Imperatoris virtus exprimitur. Sed cujuſnam? Incurrit mihi in animum Hector ille Trojanorum fortiſſimus, qui quamquam ſub Trojani belli finem ab Achille ſuperatus, oc, ciſuſque fuit; magnificè tamen antea illum vicerat immo ei etiam ſpolia inter decertandum detraxerat; cujus rei meminit Virgil. l.2. Æn.

Hei mihi qualis erat, quantum mutatus ab illo
Hectore, qui redit exuvias indutus Achillis,
Vel Danaum Phrygios jaculatus puppibus ignes!

Jam vero ab Hectore paulo poſt inchoatum bellum Trojanum ex Andromacha Aſtyanacta filium procreatum fuiſſe quis neſcit? Cur igitur puerulum armato Militi adſtantem non Aſtyanacta ipſum eſſe dicamus, quaſi domum reduci parenti blandientem, in illiuſque victoria exultantem, & quantum illa fert ætatula gratulantem, ita ut aptè Martialis de Regulo verſiculi in illum quadrent? L.1. ep.36.

Aſpicis ut parvus, nec adhuc trieteride plena
Regulus auditum laudet & ipſe Patrem?
Maternoſque ſinus viſo genitore relinquet
Et patrias laudes ſentiat eſſe ſuas?

Hoc mihi magis magiſque perſuadetur ob Clypei formam orbiculatam, atque convexam, hoc eſt planè Phrygiam. Siquidem in catini ærei fundo, quod in Kirkeriano aſſervatur, Achilles curru bijugo vectus, Trojanique è mænibus proſpectantes talis figuræ ornati ſcuto ſunt, ſimileque illi affingitur in marmore, quod viſitur in ædibus Marchionum Spada, ubi res ab Achille geſtæ deſcriptæ ſunt.

TA-


T. XXIII.
SOLDATO A CAVALLO
In Cornola
Nel Tesoro dell'Ecc. Sig. Duca Odescalchi

TABULA XXIII.

EQUES.

CUm Iſis Ægyptiorum Dea eadem habita fuerit, ac Luna, cumque Crocodilum Ægypti eſſe Symbolum, omnibus compertum ſit, dubitari videtur non poſſe, quin imago hæc ſit Romani alicujus vel Ducis, vel Militis, qui victoriam in ea regione aliquam reportarit, vel ſaltem in militari arte ſeſe exercendi cauſa equitans, atque armatus excurrerit. Niſi autem audaciæ notam vererer, ob formæ, vultuſque ſimilitudinem neſcio quam, M. hunc eſſe Antonium pronunciare non dubitarem, quem turpi Cleopatræ amore captum, in Ægypto commoratum aliquamdiu ex veterum annalium monumentis accepimus. Huic meæ ſuſpicioni, ne dicam ſententiæ, non repugnat certè Plutarchus in vita ipſius Antonii, cujus hæc verba ſunt a Leonardo Aretino latine verſa. *Cleopatra autem non quadrifariam, (ut inquit Plato) ſed multifariam blanditiis adorta, ſeu ſtudio, ſeu joco res ageretur, novis ſemper irritamentis nitebatur, quibus poſſet mens Antonii capi; nocte, dieque erat parata, ſeu ludere, ſeu potare, ſeu venatum ire placeret, exercentem ſe Antonium viſebat in armis.* Cæterum habemus hic veterem equitandi morem ſine ephippio anteriori, poſteriorique partibus eminente, a quibus conſtringantur, & firmius hæreant equitantis coxendices. Multo minus ex ephippio ipſo dependent ſuſtentacula duo illa ferrea, vel etiam argentea,

gentea, quibus innituntur, atque inſiſtunt equitantium pedes. Ita illa deſcribit Voſſ. de Vit. ſerm. 1. 7. Philelphus *Stapedam* appellavit, quod in ea pes ſtaret. Budæus melius circumſcribi poſſe putavit. Si eam *ſubjicem pedaneum* appellaremus. Polydorus Virgil. l. 3. cap. 18. dicit, inſtrumenti hujus authores ignorari. Non eſſe tamen inventum tam novum animadvertit Baſilius Faber Theſaur. Erudit. Scholaſticæ. S. Hieronymus in epiſtolis *Biſtapiam* vocat, & alibi *Stapedam*. Affert memoratus Baſilius Faber Inſcriptionis partem, in qua *Stapiæ* vocabulum uſurpatur.

AMOR FVIT EQVO DVM ASPECTV FORMOSISS
DVRMIONIAE PVELLAE VIRGVNCVLAE SVMMA
POLVORIA PLACERE CVPEREM CASV DESILIENS
ſic
PES HESIT STAPIAE TRACTVS INTERII.

Longiorem recitat Hieronym. Magius in Miſcellaneis, ubi ex ſuperpoſitis litteris D. M. colligi poſſe cenſet non fuiſſe Chriſtianam. In eadem opinione fuit etiam Monfoconius, ſed eam validiſſime pereruditus Fabrettus confutat. Et certe aliquando cum hujuſmodi litteris D. M. reperiri etiam Chriſtianas inſcriptiones, documentum habemus in Muſeo Kirkeriano. Redeamus pauliſper ad Ephippium, de quo alii aliter.

Optat ephippia Bos piger, optat arare Caballus.

Dixit Horatius l. 1. epiſt. 14. v. 44. vetus Scholiaſtes. *Sella*; inquit, *alii Sagmata, nonnulli ea, quæ propter jugum equis currulibus imponitur, & hoc verius*. Nonnius vero l. 2. num. 312. Ephippium eſſe docet

docet *tegmen equi ad mollem vecturam paratum*. Cæſar de Bello Gall. l. 4. c. 2. de Gallis ipſis: *Nihil*, inquit, *illorum moribus turpius, aut inertius habetur, quam ephippiis uti. Itaque ad quemvis numerum ephippiatorum equitum, quamvis pauci adire audent*. Sed nihil horum meo quidem judicio evincit antiquorum ephippia fuiſſe potius ſellas equi dorſo ad ſedendum impoſitas, quam mera ſtragula, quibus equi ad equitandum idonei contegerentur. Ephippia illa, quæ Italico nomine *Selle* nuncupamus, fuiſſe antiquis incognita, argumento ſunt ſtatuæ marmoreæ, atque æreæ, numique, & gemmæ plurimæ, in quibus ſellarum hujuſmodi veſtigium apparet nullum.

TABULA XXIV.
GLADIATORES.

HABEMUS hic gladiatores duos, victorem, & victum. Et quidem victor fortaſſe ſuis humeris adverſarium interfectum imponit, idque vel ut ſpectatores de victoria certos faciat, vel ut cadaver ex arena ſubducat, ne impedimento ſit gladiatoribus aliis in eodem certamine ſucceſſuris. Plura gladiatorum genera numerantur a Juſto Lipſio Saturnal. ſerm. l. 2. cap. 7, Secutores, Retiarii Threces, ſive Thraces, Myrmillones, Hoplomachi, Samnites, Eſſedarii, Andabatæ, Dimachæri, Laquearii. Pumiliones quandoque fœminæque ipſæ ad hujuſmodi certamina admiſcebant ſeſe, de quibus Stat. in Silvis.

His audax ſubit ordo pumilonum,
Quos natura brevi ſtatu peracto,
Nodoſum ſemel in globum ligavit.
Edunt vulnera, conſeruntque dextras,
Et mortem ſibi qua manu minetur,
Ridet Mars pater, & cruenta virtus
Ceſſuræque vagis grues rapinis.

Fœminæ quoque, de quibus Svet. in domit. & idem Papinius.

Hos inter fremitus, novoſque luſus
Stat ſexus rudis, inſciuſque ferri,
Et pugnas capit improbus viriles.
Credas ad Tanaim, ferumque Phaſim
Thermodontiacas calere turmas.

Gla-


XXIV.
GLADIATORI
In Corniola.

Gladiatores noſtros hoſce Secutores eſſe puto. Eos enim Lipſius ex Prudentio, & Dione gladio, clypeo, & galero inſtructos, & armatos fuiſſe conjicit, & eo habitu in icone inciſa Secutorem cum Retiario digladiantem deſcribit. Secutores qui pertinebant ad Romanorum militiam, longe alii a Secutoribus gladiatoribus erant. De bis poſtremis Tergeſtina hæc affertur Inſcriptio apud Gruter. pag.cccxxxiii.

CONSTANTIVS . MVNERARIVS . GLADIA
TORIBVS . SVIS . PROPTER . FAVOREM . MV
NERIS . MVNVS . SEPVLCHRVM . DEDIT
DECORATO . RETIARIO . QVI . PEREMIT.
CAERVLEVM . ET . PEREMPTVS . DECI
DIT . AMBOS . EXTINCXIT . RVDIS VTRO
SQVE . PROTEGIT . ROGVS
DECORATVS . SECVTOR . PVGNAR. VIIII.
ſic ſic
VALERAE . VXSORI . DOLORE PRIVVM RELIQVIT.

Secutor, inquit Iſidorus, eſt ab inſequendo Retiarium dictus. Non tamen omnino boc etymon Lipſius probat. De Secutoribus mentionem facit etiam Cic. lib.vii. ad Attic. *Certaminis initio*, inquit Scaliger, & ex eo Jo. Roſin. Antiq. Rom. lib.5. cap.24., *poſtquam inter ſe rudibus batuiſſent, ferro nudi transfigebant*. Poet. lib.1. c.35. vellem tamen idoneo teſtimonio aliquo nuditatem hanc confirmaret. Ea certe in imaginibus Lipſianis non apparet. Apparet quidem in hiſce noſtris gladiatoribus, & in illis, qui ſunt in Porticu interiori Farneſiana, & in eo, qui ſupra omnem artem elaboratus eſt, & jam

jam

jam animam exhalaturus in [1] Muſeo Capitolino ſpectatur. Sed hoc non argumentum eſt, Gladiatores omnino nudos depugnaviſſe. Nudos etiam in nummis, & ſtatuis videmus Cæſares, Antinoos, & alios; & tamen veriſimile non eſt, illos aut tam parum verecundos, aut tam patientes frigoris fuiſſe, ut detractis plane veſtibus in publico eſſe vellent. Ad ſuum igitur arbitrium, libidinemque ſimulacra artifices eo modo effinxiſſe credo, ut peritiam in conformandis corporis humani partibus oſtentarent. Hanc ipſam gemmam profert Leonardus Auguſtinus, Gem. Antic. figur. part.2. Tab.99., ubi hac eadem interpretatione illam explicat, eamque cauſam eſſe docet, quamobrem clypeum, gladiumque retineat, ſententiamque ſuam antiqui Scholiaſtæ in Satyram tertiam Juvenalis teſtimonio, & auctoritate confirmat.

TABULA XXV.

CENTAURUS.

IN hoc Centauro conſideremus licet plura: Ciſtas, Pedum Coronam, Nebrida, atque Corrigiam. Hæc omnia cohærent optime, ſi Chironem hunc eſſe ſtatuamus, cui Thetis Achillem filium educandum, atque inſtituendum tradiderit. Illum Chiron Leonum medullis aluiſſe fertur, herbarumque vim, atque uſum, fidibuſque canendi artem edocuiſſe. Quid igitur prohibet,

(1) *Quod Muſeum doctiſſimis explanationibus illuſtravit V. Cl. Jo: Bottari ad S. Mariæ trans Tiberim Can. & ab intimis Sacellis SS. D. N.*

by Google


CENTAVRO

hibet, quominus credamus Chironem ſe ad Pelei, Thetidiſque nuptias, qui Achillis parentes futuri erant eo habitu, quo hic exprimitur, contuliſſe? Eo igitur migrare feſtinans floreарum, frondearumque coronarum copiam ex amœniſſimis Theſſaliæ jugis, ac viridariis proficiſcens in ciſtis defert, ut ſponſum, ſponſamque illis muneret, quemadmodum illum feſtive verſibus hiſce Catullus deſcribit. De nupt. Pelei, & Thetidis v.278.

Princeps è vertice Pelii
Advenit Chiron portans Sylveſtria dona.
Nam quoſcumque ferunt campi, quos Theſſala magnis
Montibus ora creat, quos propter fluminis undas
Aura parit flores tepidi fœcunda Favoni,
Hos indiſtinctis plexas tulit ille corollas.

Ex his autem ruſticano plane more ſibi unam impoſuit. Pedum quoque, ſive baculus incurvus paſtorum Centauris, utpote agreſtibus ſemihominibus, convenit; ſicuti etiam Nebris, quæ paſtoritium tegumenti genus eſt. Ea certe amictum, pedoque etiam armatum videmus unum ex duobus celeberrimis Centauris ex Ægyptio marmore ſculptis, qui in ædibus Illuſtriſſimi Præſulis Alexandri Furietti viſuntur, quoſque ille menſe Decembri ann.1736. in Hadrianæ Villæ ruinis invenit. Corrigia vel ad Nebrida ſtrictius humeris alligandam uſui eſſe poteſt, vel ſignificare, Centauros Bacchi curru ſubjungi aliquando ſolitos, ut eſt apud Nonn. in Dionyſ.; & quemadmodum apparent in Cameo apud Cauſeum Muſ. Rom. p.1. ſect.2. Tab.44. nec non in alio longe majori, quem profert Senator

Bonarota Oſſervazioni Iſtoriche &c. pag. 427. In eo enim Achate inſculptus eſt elegantiſſime Bacchi triumphus, ſive pompa; ejuſque currus duobus Centauris maribus, duabuſque fæminis junctus eſt. Cæterum notæ ſunt Poetarum fabulæ de Chirone vulnerato ſagitta Hydriæ veneno imbuta, & quomodo in cælum translatus, & Sagittarius dictus, inter Zodiaci ſigna duodecim locum obtineat. Acheus tamen, & Eraſiſtratus negant Chironem ex eo vulnere periiſſe; ſed berba quadam adhibita ſe ſanaviſſe contendunt, quæ deinde Centaurea, vel Centaureum fuiſſet ex ejus nomine nuncupata, de qua Virg. lib. 4. Georg.

Cecropiumque thymum, & graveolentia
Centaurea.

Et Lact. l. 2.

At contra tetra abſynthi natura, ferique
Centauri fœdo pertorquent ora ſapore.

Satis de fabulis; nunc ad hiſtoriam. Palæphatus ſcriptor antiquus patria Parius, vel, ut alii malunt, Priænæus, teſte Suida, Artaxerſis tempore natus, qui ἀπίστων, hoc eſt rerum incredibilium volumina quinque conſcripſit, rem narrat his verbis apud Ludovicum Vives Comment. in lib. xviii. de Civit. Dei cap. 13. *Qua Tauri præferoces Lariſſam, & eam Theſſaliæ regionem vaſtarent, Ixion Rex præmium propoſuit iis, qui Tauros arcerent. Juvenes e Nephele pago, cum equos manſuefactos, & edoctos conſcendiſſent (nam prius curribus modo utebantur) Tauros abegerunt. Accepta ob hoc pecunia inſolentiores facti, injuriis affecerunt & ipſum Ixiona, & Lariſſæos, qui tunc Lapithæ dicebantur, ita ut invitati ad nuptias Pirithoi,* multe-

Digitized by Google

mulieres eorum raperent. Quæ res præbuit occaſionem fabulæ, quod Centauri dicantur, quod ſemiequi, quod filii Ixionis, quod ab eo miſſi, & donati, quod ex nubibus; nam Nephele eſt nubes. Servius rem paulo aliter narrat in 3. Georg. *Quidam Theſſalus Rex bobus æſtro exagitatis Satellites ſuos ad eos revocandos ire cum juſſiſſet, illique curſu non ſufficerent, aſcenderunt equos, & eorum velocitate boves ſequuti, eos ſtimulis ad tecta revocarunt. Sed hi viſi, aut cum irent velociter, aut eorum equi cum circa flumen Peneon potarent capitibus inclinatis, locum fabulæ dederunt, ut Centauri eſſe crederentur.* Dictique ſunt *Centauri* ἀπὸ τοῦ κεντεῖν τοὺς ταύρους. Plinius denique lib.7. *Frænos, & ſtrata equorum Peletronius invenit, pugnare ex equo Theſſali, qui Centauri appellati ſunt habitantes ſecundum Pelium montem.* Virg. etiam Georg. l.3.

Fræna Pelethroni Lapithæ, gyroſque dedere
Impoſito dorſo, atque equitem docuere ſub armis
Inſultare ſolo, & greſſus glomerare ſuperbos.

De illorum natione Strabo l.19. Centauros, ſive Hippocentauros vere tales inveniri poſſe videtur negari in princip. Inſt. de inutil. ſtipulat. Cic. eſt in eadem opinione Tuſc.3., & l.2. de nat. Deor. Galen. de uſu partium. Dubitat Xenoph. l.4., Cyrop. & Celſus l. Si ita ſtipulatus 97. ff. de verb. oblig., & Plin. l.7. Videndus Jo. Corraſus l.5. Miſcel. c.2., & Covar. l.4. reſolut. caſ.1. Neque S. Hieronymi authoritate convinci poſſumus, qui poſteaquam de S. Paulo

S. Paulo Eremitarum Principe dixerat: *conſpicit hominem equo mixtum, cujus opinio Poetarum Hippocentauro vocabulum indidit*; hæc addit paulo infra: *Verum hæc utrum diabolus ad terrendum eum ſimulaverit, an, ut ſolet eremus monſtroſorum animalium ferax, iſtam quoque gignat beſtiam, incertum habemus.*


TABULA XXVI.

BIREMIS.

SI latinum eſſet vocabulum, Navigium hoc dicendum potius eſſet Uniremis, ut græce eſt [illegible], cum unum dumtaxat remorum ordinem habeat. Biremis enim eſt vel navis major duobus remorum ordinibus acta, & ab Erythræis primum inventa, ut ſcribit Plinius l.7. c.57., vel navicula duos tantum remos habens, qualis videtur eſſe illa Horatii l.3. od.29.

Tunc me biremis præſidio ſcaphæ
Aura feret.

Naves aliquas fuiſſe inſtructas pluribus remorum ordinibus unis ſuper alios diſpoſitis, inficiari poteſt nemo. Perſpicuum hoc eſt in duobus navigiis extantibus in Columna Trajana, delineatis, & inciſis a Petro Sancte Bartoli, quarum navium formam, & ædificationis modum mirificè illuſtravit eruditiſſimus Præſul Raphael Fabrettus in ſuo Commentario de Columna Trajana cap.5. pag.133. ubi etiam affert numiſma Gordiani Pii magni moduli, in cujus averſa parte navis apparet cum duplici remo-


T. XXVI
BIREME
P
In Granata.

remorum ordine uno ſuper alium diſpoſito, ut antea diximus. De nummo hoc differt etiam clariſſimus Bonarota Oſſervazioni Iſtoriche &c. xiv. in Gordiano pag.287. habent hanc Epigraphen *TrajeƐtus Auguſti*. Unuſquiſque illum videre poteſt apud Jacobum Bieum Antuerpianum in opere,quod inſcribitur, *Numiſmata Imperatorum &c.*, qui liber cum Antonii Auguſtini dialogis conjungi ſolet. Inter Biei numiſmata eſt etiam aliud Antonini Elagabali cum alia Biremi plane ſimili, ubi legitur *Felicitas Temp.* In Kirkeriano habemus vas grandiuſculum inſtar cylindri ex lamina ærea, cujus diagramma profert Franciſcus Ficoronus in ſua Hiſtoria dell'Antico Labico. In eo autem vaſe graphio delineatus eſt Argonautarum in Bebryciam adventus, nec non Pollucis pugna cum Amyco Bebryciorum Rege. In ipſa navi, ex qua Argonautæ excenſionem faciunt, aſpicitur duplex foraminum ordo, qui cum duplici eo, de quo diximus, remorum ordine plane congruat. Longum eſſet omnia perſequi dicendo velle, quæ de Navigiis, & Biremibus Lazarus Bayfius, Gregorius Gyraldus, & Leonardus Scheffer de milit. Nav., & alii viri doctiſſimi tradiderunt.

Verum illud adnotare placet, hujuſmodi remorum ordines dictitatos etiam verſus a veteribus fuiſſe, præſertim a Virg. lib.5. Æneid. v.119.

Triplici pubes, quam dardana verſu
Impellunt.

Quod magis, magiſque explicari videtur ſequenti hemiſtichio:

Terno conſurgunt ordine remi.

Videtur hic Virgilius triremem deſcribere, tametſi triremes Trojani Belli tempore nondum eſſent in-

ventæ, ſed multis poſt ſeculis earum author, teſte Thucidide, Aminocles Corinthius fuerit. Vide Plin. l.7.cap.56. Verum Poetis ἀναχρονισμοὶ facile condonandi ſunt. Sed ſi verſus hoc loco idem, atque ordines remorum ſunt, ſequitur, tot aliquando in navibus fuiſſe verſus, ut epigramma bene longum, immo juſtum prope poemation conficerent. Græcolatina certe vocabula illa Hexeres, Hepteres ſextum, & ſeptimum ordinem remorum præſeferunt. Titus Livius in dec.4. uſque ad ſexdecim ordines numerat. *Quin*, inquit, *eo regiam unam navem inhabilis prope magnitudinis quam* XVI. *verſus remorum agebant*. Pollux XV. verſuum Ptolemæi naves celebrat. Sed quid ſexdecim, & quindecim dico? Quadraginta quoque ordinum navem ædificandam primum curaſſe Ptolemæum Philopatorem narrat Plutarchus in Demetrio in longitudinem quidem productam ad cubitos ducentos octoginta, altitudine autem ad ſummitatem uſque navis duodequinquaginta cubitorum. Ea vero τεσσαρακοντήρης a Græcis dicta eſt: cujus longiorem deſcriptionem feciſſe videtur Athæneus in quinto Dipnoſophiſtã, quem locum integrum Bayſius recitat. Hæc ex Carolo Stephano in libello de re navali ex Bayſii vigiliis excerpto.

Illud hic dignum eſt quod ſciatur, in rei capitalis reos Triremium ſupplicium etiam apud antiquos Romanos conſtitui ſolitum fuiſſe. Confirmat hoc Valerii Maximi locus lib.9.cap.16. *Cum quidam*, inquit, *clariſſimæ, ac ſanctiſſimæ Sororis ejus* (Auguſti) *Octaviæ utero ſe genitum fingere auderet, propter ſummam autem imbecillitatem corporis, ab eo, cui datus erat, perinde,*

atque


T. XXVIII.
BIGA
In Corniola

atque ipſius filium retento, ſubjecto in locum ſuum proprio filio diceret .... imperio Auguſti remo publicæ triremis affixus eſt.

TABULA XXVII.

BIGA.

Bigarum inventionem Phrygibus adſcribit Plinius l.7. cap.56. Cyriſteni Sicyonio S. Iſidorus 17. 35. Erant autem currus duobus equis vecti, dictæque ſunt a *bis*, & *jugum*, quaſi bijugæ, quod duo equi ad jugum vincti ſunt, vel a *bis*, & *ago*, quaſi *biagæ*, quod a duobus equis agantur. Apud veteres Biga, Triga, & Quadriga inveniuntur. Sejuges item equi, ſeptemque, ac decem jugis aliquando aurigatum fuiſſe Neronem refert Svetonius in Nerone cap.24., ubi ait: *Aurigavit quoque plurifariam*. Memorantur a Varrone in Seranio Bigæ cornutæ joculatorie, nihilque aliud ſunt, quam duo boves aratores, quos ad aratrum Triptolemus junxerat. Vid. Turnet. Adverſ. l.15. cap.4. Ex bigis olim Heroas decertaſſe planum fit primo ex Iliad.14. ubi Homerus Menelai bigam deſcribit; deinde ex Virg. l.12.

It bigis Turnus in altis
Bina manu lato criſpans haſtilia ferro.

A Trojanis, & Græcis Biga etiam ad Romanos pervenit, cujus maximus in ludis Circienſibus uſus. Hanc autem, quam in Corneola noſtra inſculptam cernimus, Bigam victricem ex aurigantis victoriolæ ſigno eſſe conjicimus. Victoriam autem obti-

obtinebant Bigæ illæ, quæ poſt ſeptem ſpatia priores ad metam perveniſſent. Indicat clare hoc Senecæ locus epiſt.30. *Manifeſtior notari ſolet agitatorum lætitia, cum ſeptimo ſpatio palmæ appropinquant*; necnon Propertii l.2. eleg.25. v.23.

An quiſquam in mediis perſolvit vota procellis,
Cum ſæpe in portu fracta carina natet?
Aut prius infecto depoſcit præmia curſu,
Septima quam metam triverit arte rota?

Nos in Kirkeriano urnam habemus marmoream, in cujus anteriori facie una cum Circi parte inſculptæ ſunt aurigæ tres, ſupra quas alati genii aurigæ munus obeunt. Quid autem hujuſmodi Bigarum curſu ſignificare antiquitas vellet, declarat Servius. *Initio*, inquit, *propter equorum inopiam legimus veteres in agitandis Circenſium ludicris diverſis uſos eſſe animalibus, poſtea equis tantum, qui curribus adjuncti curſitabant*. Ex quibus primum locum obtinebant Bigæ. *Hæ currentes lunam imitari putabantur, quæ gemino curſu cum ſole contendit, ſive quod nocte videatur, & die; ideoque & bigis alterum equum nigrum, alterum candidum jungebant, qui noctem, & diem repræſentarent*. Celeberrima eſt Inſcriptio apud Grutherum pag.656. de puero, qui Circenſium Bigarum curſu delectari mirifice viſus fuerat, cujus imagini in curru extantis, palmamque præferentis adſcriptum eſt diſtichum hoc, cujus primus verſus pede uno mutilatus claudicat.

FLO-

FLORVS . EGO . HIC . IACEO
BIGARIVS . INFANS . QVI . CITO
DVM . CVPIO . CVRRVS . CITO
DECIDI . AD . VMBRAS
IANVARIVS . ALVMNO . DVLCISS.

Cæſaribus regnantibus Biga honoris ſignum eſſe cæpit; iis præſertim, qui largiendo, & profundendo pecuniam populum demeruiſſent. Argumento eſt alia Grutheri inſcriptio pag.440., quæ extare dicitur ſub Præneſte in via publica, qua Albam itur, in baſi.

A. MVNIO . A. F.
MIN. EVARISTO
SPL. EQ. R. PAT. COL.
OMNIBVS . HONOR
NITIDE . FVNCTO . OB
INSIGNEM . EIVS . EDITIONEM
MVNERIS . BIDVI . POPVLO
POSTVLANTI . BIGAM
PLACVIT EQVEST. STATVA
DECRETO . ORDINIS EVM
ORNARI
L. D. D. D.

Aliam affert P. Vulpius in veteri Latio Profano Tom.x. cap.ix. Addenda hic ea ſunt, quæ de Prætoribus ſcribit Plinius lib.33. cap.5. *Non vetus bigarum celebratio fuit in iis, qui Prętura functi curru vecti eſſent per Circum.*

TABULA XXVIII.

QUADRIGA.

GEllius lib.19. cap.8. quadrigam numero ſingulari reperiri docet, profertque exemplum ex Varrone in lib. Satyr., quod tamen rariſſimum eſſe, ait. Plerumque numero multitudinis quadrigas dixerunt. Quadrigarum autem nomine aliquando, ſed rarius, intelliguntur equi, qui quadrigas agunt; ut apud Colum. l. 3. cap. 5. Plerumque intelligitur currus quatuor equis junctus, quaſi quadriugæ ab equorum numero, & a jugo. Cic. l.3. de Nat. Deor. Minervam quadrigarum inventricem facit. Plin. l.7. cap.56. eas Erichthonium Athenarum Regem inveniſſe, mavult; & ante ipſum Virg. l.3. Georg. v.113.

Primus Erichthonus currus, & quatuor auſus
Jungere equos.

Vixit autem Erichthonius Moyſis circiter temporibus, vel paulo poſt; fuit enim Danao æqualis, cujus ætas incidit in Joſuæ initia. Quamquam Euſebius in Chronic. quadrigarum authorem non omnino Erichthonium eſſe cenſet; ſed, *Erichthonius*, inquit, *primus quadrigas junxit in Gręcia; erat quippe ad alias nationes.*

Victoria ſtans in curru aurigæ partes agit. At enim ſine alis? Victoria alata plerumque pingitur Ovid. 2. Triſt.

Sic

Digitized by Google


T. XXVIII
QVADRIGA
In Corniola

Sic aſſueta ſuis ſemper victoria pennis
Nunc quoque te præſtet notaque ſigna petat.
Auſoniumque Ducem ſolitis circumvolet alis,
Ponat & in nitida laurea ſerta coma?

Cur autem alata? Latin. Pacat. in Panegyr. *Recte profecto germana illa pictorum, poetarumque commenta Victoriam finxere pennatam, quod hominum cum Fortuna euntium non curſus eſt, ſed volatus*. Cur igitur hic non alata? rationem reddo ex Thom. Dempſtero Paralip. ad cap. 10. l. 2. Antiquit. Rom. Jo: Roſin., ubi dicit Victoriæ alas primum additas a Patre Bubali, & Athenidis. Quamquam ſunt inter antiquos Scriptores, qui ad Pergamenium Caryſtium hoc referant, aliique, qui ad Aglaophontem pictorem, ut ſentit Ariſtophanis Scholiaſtes ad hæc:

Αὐτίκα νίκα πέτεται πτερύγοιν χρυσᾶιν

Statim Victoria volavit aureis alis.

Cæterum quadrigarum uſus maximus erat in ludis cum apud Græcos, tum apud Romanos; in ludis inquam Olympicis, Pythiis, Iſthmiis, Nemæis, & Circenſibus. Quamquam quadrigas antiquitus etiam in bellis, & præliis adhibitas, in quibus ſtantes pugnabant, perſpicuum eſt Homerum legentibus Iliad. θ v. 187. Triumphantes autem quadrigis vectos in veterum nummis, & anaglyphis, immo ſuper ipſis arcubus triumphalibus certantes, ut in Auguſti Claudii, & Neronis numiſmatis, paſſim videas. In ſummo etiam faſtigio Templi Jovis Capitolini impoſitæ ſunt primum quadrigæ fictiles Varroni, Plinio, & Plutarcho memoratæ, quas in forna-

fornace dum coquerentur excreviſſe non ſine miraculo, & magna vicinorum invidia iidem tradiderunt; quibus fictilibus ex ære inauratæ poſtea ſucceſſerunt. Hæc recito ex cap.15. Commentarii de Capitolio Rom. Juſti Rycqui, & ex cap.6.lib.2. de Urbe Roma Alexandri Donati.

Præterea quadrigarum ſupplicii mentionem facit Jo: Calvinus in Lexico Juridico. Eo affectus olim eſt Metius Suffetius Albanorum dictator, qui regnante Tullo, quod ex præſcripto fœderis ad belli ſocietatem contra Fidenates vocatus, euntibus in hoſtem Romanis ſuos prælio eduxerat, juſſu ipſius Regis Tulli duabus admotis quadrigis diſcerptus eſt.

TABULA XXIX.

LEO.

Quandoquidem myſterii aliquid plerumque habebant etiam ferarum imagines in gemmis inſculptæ, comprehendam brevi, quæ de Leonis Hieroglyphicis a nonnullis Scriptoribus dicta ſunt. Leonem eſſe Symbolum roboris, ac fortitudinis indicare videtur Cic. de off. l.1., ubi dicit; vim non ſecus eſſe Leoni peculiarem, quam vulpeculæ fraudem. Eamque ob cauſam, ut narrat Pauſanias in Eliacis, in Agamemnonis Clypeo Leonis imago ſculpta erat, ſcutumque illud perdiu in Olympiæ templo pependit, inſcriptione hac adjecta.

ετ

Digitized by Google


LEONE

Οὗτος μὲν φόβος ἐστὶ βροτῶν ὁ δ' ἔχων Ἀγαμέμνων.

Terror hic eſt hominum, quique hunc geſſit eſt Agamemnon.

Quamquam Homerus Iliad.12. Gorgona Agamemnonis Clypeo, non Leonem apponit. Sed

Pictoribus atque Poetis
Quidlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas.

Pompejus quoque in annulo Leonem habebat, ſed enſiferum, ſive Macherophorum, ut narrat Plutarchus in Vita, & Plinius lib.23.

Ægyptii, ut eſt apud Plutarchum, Leonis ſignum in Zodiaco, & in ea cæli parte collocavere, qua maxime annuo curſu Sol valido fervet calore, locumque illum domicilium Solis appellavere, quia id animal ex natura Solis videtur ſubſtantiam deducere. Primumque impetu, & calore præſtat animalibus, uti præſtat Sol ſideribus: validuſque eſt Leo pectore, & priore corporis parte, at degenerat poſterioribus membris: æque Solis vis prima parte diei ad meridiem increſcit, vel prima parte anni a vere in æſtatem: mox elangueſcens deducitur vel ad occaſum qui diei, vel ad hyemem, quæ anni pars videtur eſſe inferior. Idemque oculis patentibus, atque igneis cernitur ſemper, ut Sol patenti, igneoque oculo terram conſpectu perpetuo, atque infatigabili cernit. Hæc ex Macrob. lib.1. Satur. cap.21. Horus Apollo l.1. n.21. (ſi tamen ejus Hieroglyphicorum germanum eſt opus, quandoquidem illud Suidas inter alia ejus opera non recenſet) docet Leonis ſymbolo Nili aſcenſum, & exundationem exprimi, quia cum Sol Leonis ſignum ingreditur, Nili aquæ tunc maximæ Ægyptum opplent, atque obruunt.

TABULA XXX.

AMULETUM.

Effigiem huic noſtræ valde ſimilem galeatam, clypeatam, haſtatamque, duabus tamen haſtis reperio in nummo Familiæ Valeriæ. Eam Fulvius Urſinus Sirenis eſſe putat, & ad Familiam Aſciculam pertinere, quam à Valeria gente fuiſſe oriundam demonſtrat; ideoque in eo nummo a L. Valerio Sirenem expreſſam, ut ſignificaretur Aſciculos Acidis fluvii, atque ejus in Sicilia regionis, quas Sirenes tenuerunt, accolas aliquando fuiſſe, indeque profectos Sabinum agrum primo tenuiſſe, deinde Civitatem Romanam adeptos eſſe. Michael Angelus Cauſeus in opere *Gemme antiche figurate p.2. num.*180, affert imaginem in Corneola noſtræ non valde diſſimilem, quam appellat Chimeram. In Muſeo vero Romano Tom.1. ſect.1. Tab.46. habet hanc ipſam fortaſſe noſtram, & ſupra inſcriptum eſt *Amuletum*. Supra vero hanc Odeſcalcham ego *Siren* inſcriptum reperi. Placet mihi Cauſei doctiſſimi interpretatio, quæ in utroque opere eſt hujuſmodi. Minervæ caput illud galeatum eſſe cenſet, & Noctuæ corpori impoſitum. Noctuam ideo Minervæ dicatam eſſe docet, quia ſapientia etiam in tenebris lucet. Galeatam vero Minervam ipſam, quia ſapientiæ, cujus Dea ipſa eſt, culmen ſub aſpectum non cadit. Haſta ſapientis fortitudinem indicat, Pharetra, & Sagittæ eloquentiam; nam ſapientia verbo percutit, & in animos

Digitized by Google


T. XXXI
AMVLETO


AMULETUM

mos penetrat. Olea vero pacis tempore ſtudia liberalium artium florere ſignificat; Gorgon vim pericula propulſandi. Columna, conſtantia ſapientiam acquiri. Vas Columnæ impoſitum, præmia, quibus viri ſapientes, & litterarum amatores donantur; quæ quidem omnia laudatus Cauſeus, idoneis veterum Scriptorum teſtimoniis confirmat.

TABULA XXXI.

AMULETUM.

SUNT in hoc Amuleto ſerpentes duo, Mulier, ſupra quam Luna falcata; duo item juvenes equitantes, pone quorum alterum ad lævam eſt mulier alia, pone alterum ad dextram vir alius unius ex ſerpentibus, quas diximus, caudam manu dextera comprehendens; corpora denique duo humi prona jacentia. De Serpentis ſymbolo ſæpius, & plura diſſerit P. Athanaſius Kirkerius, in eo præſertim libro, qui inſcriptus eſt: *Obeliſci Ægyptiaci nuper inter Iſæi Romani rudera effoſſi interpretatio Hieroglyphica*; ubi Hieroglyphic.3. pag.35. ex Euſebii Præparatione Evangelica oſtendit, per ſerpentis figuram ſignificatam eſſe ab Ægyptiis divinam naturam, & immortalitatem. Præterea augurium felix per ſerpentem a Poetis portendi exploratum eſt ex Virg. l.5. & alibi. Confirmat idipſum Cic. lib.1. de divinat. *Cum Roſcius*, inquiens, *in cunabulis eſſet, educareturque in Selonio, qui eſt campus agri Lanuvini, noctu lumine appoſito experrecta nutrix*

trix

trix animadvertit , puerum dormientem circumplicatum ſerpentis amplexu , quo aſpectu exterrita clamorem ſuſtulit . Pater autem Roſcii ad Aruſpices retulit ; qui reſponderunt , nihil illo puero clarius , nihil nobilius fore . Atque hanc ſpeciem Praxiteles cælavit argento , & Archias expreſſit verſibus. Juvenes in equis ſedentes, iidemque haſtati , pileoque phrygio pileati Dioſcuri profecto ſunt, ſive Caſtor, & Pollux inter ſidera relati, quod ipſum ſtellæ eorum capitibus imminentes declarant. Mulier, ſupra quam Luna videtur falcata, Iſis eſt, qui una cum Euſebio Iſidem eamdem eſſe tradit, ac Lunam. Luna autem eadem eſt, ac Diana, teſte Diodoro Siculo lib.4. Recte igitur divinitatis, immortalitatiſque ſymbolum & Iſidi , & Dioſcuris accommodatur, quos ſtulta antiquitas Diis immortalibus annumeravit . In duobus corporibus humi pronis pluſculum negotii eſt. P. Felicianus Buſſi in MM. SS. putat eſſe ipſorum Dioſcurorum imagines , per quas alterna mortalitas , & immortalitas eorumdem ſignificetur . Poteſt aliquis opinari ea de cauſa fuiſſe in hoc lapide cæruleo inciſas , ad excitandam ſpem victoriæ ipſorum ope reportandæ, memoriamque jam reportatæ; cujuſmodi illa fuit cum Aulo Poſthumo Dictatore anno Urb. Cond. ccLvii. in bello Latino mirabiliter apparentes hoſtes cominus ferierunt, & in fugam converterunt , quod memoriæ prodiderunt Dionyſ. l.6. , & T. Liv. l.2. Sed quid hæc dicit aliquis cum Ægyptiorum Idolis , & ſymbolis ? Baſilidianorum ſuperſtitio , quorum ſine dubio hoc eſt Amuletum , quid mirum, ſi ſacra profanis miſcens , Romanas res quoque cum Ægyptiorum fabulis permiſcuerit ? Vir & mulier


N° XXXII
ABRAXAS
ΙΑΩΑΩΝΑΙΜΙΧΑΗΛ
ΚΕΝΕ
In lapis Azurro
Nel Tesoro di S. Ecc. il Duca Odescalchi

lier in extremis Gemmæ lateribus ſtantes indicant fortaſſe Regionis populum, qui ea numina veneretur: & mulier quidem, tamquam una ex Sacerdotibus Iſidis ſilentium de more in ſacris illorum fieri jubet. Tota hæc igitur figurarum congeries Geminorum ſignum cæleſte denotari videtur, quod Luna ſemel ſingulis menſibus percurrit: quorſum autem idipſum ſtulti Hæretici illi ſecerint, declarabant fortaſſe ipſis litteræ illæ ſupra, & infra collocatæ; ſed nobis certe non declarant. Sunt enim ita perturbatæ, ut ſententiam nobis, immo & vocabulum efficiant nullum. In linea inferiori paulum tranſpoſitis, & immutatis iiſdem litteris videtur legi poſſe: DIANAE.

TABULA XXXII.

ABRAXAS,

INTER numina, quæ magna apud Ægyptios religione colebantur, unum, idemque præcipuum erat Sol, quem ipſi nomine Abraxas, ut S. Hieronymus teſtatur, appellabant cap.2. in Amos. Ad hunc autem ſignificandum hac perridicula utebantur imagine. Corpus humanum deſcribebant, cujus gallinaceum eſſet caput. Etenim ſi harum rerum peritiſſimo P. Athanaſio Kirkero credimus Oedip. Ægypt. Tom.2. part.2. claſſ.11. de Magia Hieroglyph. *Per Galli faciem, criſtamque ſolaris numinis poteſtatem denotabant.* Pro cruribus, & pedibus in hac noſtra effigie geminos dracones aſpicimus, qui quotannis, ut ignorat

 nemo,

nemo, ſe ipſos quodammodo veteribus exuviis depoſitis, renovant. Sol ipſe pariter annuum curſum abſolvens, ut ita dicam, ſeneſcit, poſteaque vividior, ac validior renaſcitur. *Propterea*, inquit Macrobius, Sat. lib.1. cap.20. *ad ipſum Solem ſpecies draconis refertur: quia Sol ſemper velut a quadam imæ depreſſionis ſenecta in altitudinem ſuam, ut in robur revertitur juventutis. Eſſe autem draconem inter præcipua Solis argumenta etiam nominis fictione monſtratur: quod ſit nuncupatus* ἀπὸ τοῦ δέρκειν, *ideſt videre. Nam ferunt hunc ſerpentem acie acutiſſima, & pervigili naturam hujus ſideris imitari*. Ferula, ſive ſcutica, quam dextera manu tenet, deſignantur radii; quibus, ut loquuntur Poetæ, montes, valles, agros, aliaſque Orbis terrarum partes diverberat. Vide Grangæum ad v.480. Satyr.6. Juven. In Clypeo agnoſcunt aliqui nubium denſitatem, quibus Sol ſæpius ſe ipſum occultat, ac protegit. Quod attinet ad litteras circumpoſitas, eæ vero nihil aliud continent, niſi Baſilidis, & Baſilidianorum ſuperſtitionem. *Baſilides genere Alexandrinus, condiſcipulus Saturnini, Menandrique auditor gloriabatur, ſe Glauciam habuiſſe præceptorem, interpretem Apoſtoli Petri*, ut eſt ſcriptum in lib.7. Stromat. Clem. Alexandrini. *Profectus in Ægyptum ibi hæreſeos ſuæ venena ſparſit, quam ad Simonis, Menandrique ineptias majoribus nugis commentus fuerat. Ingenitum unum principium adſtruxit, ſive ſummam virtutem, quam barbaro vocabulo Abraxas nominabant*. S. Hieronymus *Baſilides*, inquit, *omnipotentem Deum portentoſo nomine appellat Abraxas, & eumdem ſecundum Græcas litteras, &*

annui

Digitized by Google

annui curſus numerum dicit in Solis circulo contineri, quem Ethnici ſub eodem numero vocant Mithram, & Iberæ ineptiæ in Balſamo, Barbeloque mirantur. S. etiam Auguſtinus: *Baſilides trecentos ſexaginta quinque cælos eſſe dicebat, quo dierum numero annus includitur. Unde etiam quaſi ſanctum nomen commendabat, quod eſt Abraxas*. Cujus nominis litteræ ſecundum Græcam ſupputationem eumdem numerum complent. Græca ſupputatio eſt hujuſmodi apud Martinum ab Ebermayer.

Α.	1.
Β.	2.
Ρ.	100.
Α.	1.
Ξ.	60.
Α.	1.
Σ.	200.
	365.

Tertullianus de Præſcriptionibus lucem affert; ut aliquid de adjunctis litteris intelligamus. Ejus verba ſunt: *Baſilides eſſe dicit ſummum deum, nomine Abraxam, a quo mentem creatam, quam Græci* νοῦν *appellant. Inde verbum; ex illo Providentia; ex Providentia Virtutem, & Sapientiam; ex ipſis deinde Principatus, & Poteſtates, & Angelos factos; ab iſtis Angelis trecentos ſexaginta quinque cælos, inſtitutos*. Ad iſtos Angelos ſine dubio referuntur litteræ Græcæ illæ ΜΙΧΑΗΛ Michael. ΙΑΩ Jao. ΑΔΩΝΑΙ Adonai. Sed quænam ſit reliquarum ſententia non facile dignoſci poteſt.

Corrum-

Corrumpebant enim verba & ſententias reſolvendo, & ſeparando omnes litteras, ut ſic poſſent unicuique illarum ſingularem dare ſententiam, ac ſignificationem, aut componendo per tranſpoſitiones, & commutationes, ut recte momet Leonard. Auguſt. p.2. num.34. Fibulam ex Achate ſapphirino grandiuſculam, & ad colligendam Clamydem circa humerum Kirkeriano Muſeo dono dedit Sanctiſſimus D.N. Benedictus XIV., ubi græca hæc ſunt vocabula.

ΜΙΧΑΗΛ
ΡΑΦΑΗΛ
ΟΥΡΙΗΛ
ΣΑΒΑΩΘ
ΑΒΡΑΣΑΞ
ΕΝΜΑΝΟΥ
ΗΛ

Abraxas perſimile eſt apud Martinum ab Ebermayer, de quo: *Creditum eſt*, inquit, *virtutem habere contra inimicos, geſtantemque reddere victorem; ad venena valere, & ſanguinem ſtringere*, uti apud Camillum Leonardum legimus. Addam ego Ciceronis exclamationem lib.2. de divinat. *O delirationem incredibilem!*

TA-



GIOVE IN METALLO.

TABULA XXXIII.

JUPPITER.

INTER plura Quercuum genera maxime Jovi dicata erat illa, quæ dicitur Æſculus; cujus frondibus Signi hujus caput præcinctum aſpicimus. Plin. l.12. cap.1. *Arborum genera numinibus ſuis dicata perpetuo ſervantur, ut Jovi Æſculus, Apollini Laurus, Minervæ Olea, Veneri Myrthus, Herculi Populus*. Protomen hanc habet etiam Cauſeus Muſ.Rom. Tom.1. ſect.2. Tab.1. ubi docet Ariſtotelem in lib. de Mund. Jovi hæc cognomina tribuere. Hiceſius ab ἱκέτης ſupplex, quia precibus eſt placabile: & *Milichius* a μειλίσσω *mellitum reddo, verbis demulceo*. Ob camdem, quam dixi cauſam *Milichii* nomine cum apud cæteras Græciæ Civitates, tum apud Athenienſes colebatur, in cujus celebritate extra Urbem in totius populi conventu victimas non veras Athenienſes immolabant, ſed commode, & pro tempore aſſimilatas, & fictas, ut in 1.Hiſt. Thucydides ſcribit. Eſt & apud Pauſaniam in Corinth. Jovem Milichium, & Dianam Patroam nulla fabrefactos arte fuiſſe. Nam Milichius Juppiter Pyramide, Diana columna efficta fuerat. Fuit & apud Argivos ſimulacrum Jovis Milichii Polycleti Statuarii celeberrimi opus, ut idem Pauſanias tradit, qui & alibi Milichii Jovis Templum commemorat, ubi Theſeus a morte latronum Scinis, & aliorum a Phytali nepotibus luſtratus, & expiatus fuit. Nomine Milichii

appellabantur Dii alii. *Legimus enim*, inquit Gyraldus Syntagmat. 2. *apud Myoneam Urbem non procul a Neupacto ſitam, lucum, & aram fuiſſe* θεῶν μειλιχίων, *quibus nocturna ſacra fiebant, & antequam Sol exoriretur, omnes ſacrificii carnes abſumebantur*. Velum, quo ejus caput contegitur, ſignificat arcana Providentiæ eſſe nobis ignota, atque occulta. Ubi etiam illud adverto, Pietatem in nummis eſſe capite velato. Quare cum Juppiter hic ſit Hiceſius, atque placabilis, ejus pietatem, & clementiam erga homines ſignificare voluit, qui ſimulacrum illius velato capite effinxit. Fulmen, quod eſt a ſiniſtro ejus latere ſignificare poteſt placabilitatem ipſam; quandoquidem ſcit etiam, & paratus eſt fulmina deponere; quamquam, ut ait Horatius lib.1. od.3.

Neque
Per noſtrum patimur ſcelus
Iracunda Jovem ponere fulmina.

Jovem Hiceſium exhibet in lucerna fictili ſedentem cum fulmine ad ſiniſtrum brachium projecto, & quodammodo quieſcente Cl. D. Rudolphinus Venuti in ſuis Collectaneis Antiq. Rom. Tab. 36. Nolo hic oratione mea indicta omnino abeat Jovis barba. Barba Jovis peculiarem quamdam habere videtur formam, ob cujus ſimilitudinem Jovis barba appellata eſt planta illa, quæ apud Plinium l.16. cap.8. *eſt in opere topiario tonſilis, & in rotunditate ſpiſſa argenteo folio*. *Hic frutex*, inquit Harduinus, *recte a Dalecampio pingitur* lib.2. Hiſt. Plant. cap.35. pag.194., *& eſt in Beterrenſi agro frequens, & in Italia juxta Livornam ita prodente Anguill.* Cur autem ſuperiore parte nudus, infe-

Digitized by Google


T. XXXIV
SERA PIDE
In Metallo

inferiore veſtitus effingeretur, hanc rationem reddit Gyrald. Syntagm.2. de Diis gentium, & indicat Cl. Bonarota Oſſervazioni Iſtor. pag.69. Nuda vero, inquit, ſuperiora, & aperta habere videbatur, quoniam ipſum conſpicuum eſſe exiſtimabant in intelligentiis, quæ dicuntur, & cæleſtibus mundi partibus, inferiores autem Jovis partes velatas, quia minus apparere, nec plane videri putabant ab iis ſcilicet, qui creati ſunt in partibus inferioribus. Si non placeret Jovem hunc appellare Hiceſium, ſive placabilem, poſſumus appellare fulminantem, ut eſt apud Horat. lib.2. od.

Nec fulminantis magna Jovis manus.

TABULA XXXIV.

SERAPIS.

HOC ipſum Serapidis Idolum in Kirkerjano aſſervamus, vel aliud plane ſimile; aliudque item hujuſmodi profert Michael Angelus Cauſeus in ſuo Muſeo Romano Tom.1. ſect.2. Tab.2. Neque enim inuſitatum, vel novum, plura ab artificibus unius, ejuſdemque ſimulacri exempla conflari. Serapidis nomen eſſe putat Huetius ab radice שרפ, quod eſt incendere, quia, ut litteris mandavit Tacitus Hiſt. l.4. Serapis in ſomnis Ptolemæo Lagidæ oblatus, viſuſque in cælum igne plurimo attolli. Clemens Alexandrinus corrupte dictum eſſe putat ab Oſirapis, quaſi ab Oſiride, & Api, utpote qui idem atque Oſiris, & Apis fuerit. Varro ab *Soros*, & *Apis*, quaſi ab arca, & Deo Apide.

Digitized by Google

Apide. *Soros* enim Græce arca eſt. Confirmat S. Aug. l. 18. de Civit. Dei: *His temporibus*, inquiens, *Rex Argivorum Apis navibus tranſvectus in Ægyptum, cum ibi mortuus fuiſſet, factus eſt Serapis maximus Ægyptiorum Deus. Nominis autem hujus, cur non Apis etiam poſt mortem, ſed Serapis appellatus eſt, facillimam rationem Varro reddit. Quia enim arca, in qua mortuus eſt, ponitur, quod omnes jam* σαρκοφάγον *vocant*, σορὸς *dicitur Græce; & ibi eum venerari ſepultum cœperunt priuſquam templum ei eſſet extructum, velut* Σόραπις *primo, deinde una littera, ut fieri ſolet, commutata, Serapis dictus eſt*. Ex hoc loco Auguſtini, cui concinunt Euſebius, Suidas, & Ruffinus, conſtat Serapidem Argivorum Regem fuiſſe, qui in Ægyptum deportatus, ut Ariſtippus in primo Arcadicæ hiſtoriæ libro ſcripſit, Nemphim ibi condidit, proptereaque illi divini honores ſunt habiti. Quomodo autem idem habitus fuerit, ac Pluto, Oſiris, Dionyſius, Hammon, Juppiter, Nilus, & Joſeph; vide apud Gyrald. Syntagm. 6. Daniel Huetius de more non diſtinguit illum a Moyſè. De modio ejus capiti ſuper impoſito audiendus Ruffinus, cujus hæc verba ſunt. *Alii Jovem putant, cujus capiti modius ſuperpoſitus, vel quia cum menſura, modoque omnia indicet moderari, vel vitam mortalibus frugum largitate præberi. Alii virtutem Nili fluminis, cujus Ægyptus opibus, & fœcunditate paſcatur. Quidam in honorem noſtri Joſephi formatum perhibent ſimulacrum ob dimenſionem frumenti, qua famis tempore ſubvenit Ægyptiis*. Addit Suidas Apim quemdam hominem opulentum, & Regem Nemphidis Urbis, cum

fames

Digitized by Google

fames apud Alexandrinos fuiſſet, victum de ſuis facultatibus præbuiſſe. Cultus hic Deus a pluribus exteris nationibus fuit. Et primum quidem in Ponto, unde Ptolemæus Lagides ejus effigiem a Sinopenſium Rege impetravit, eique Alexandriæ templum conſtruxit, quod Theophilus poſtea Archiepiſcopus, ut narrat Suidas, Theodoſii magni tempore ſuſtulit. Templum aliud in Urbe Canopo Strabo commemorat lib. 17., ad cujus ſolemnia per foſſam ex Alexandria ingens turba deſcenderet ita, ut die, ac nocte plenæ virorum, ac mulierum eſſent naviculæ, leviter, & feſtive frementium, atque ſaltantium. Veneratos eſſe Serapidem etiam Athenienſes, Pauſanias teſtatur; Polybiuſque lib. 4. templum ei in Thracia dedicatum commemorat. Romæ quoque templum habuit Serapis in Capitolio. Vid. Tertull. Apolog. Ad templum certe Serapidis deductus fuit invictiſſimus Chriſti Martyr S. Felix, Diocletiano, & Maximiano regnantibus. Cui Numini *cum ſacrificare juberetur, os ſimulacri conſpuit. Quo facto, ſtatim ærea ſtatua illa corruit*. Vid. Breviar. Rom. 3. Kal. Sept. Serapeum item, & Iſeum ponit P. Victor in Circo Flaminio nona Urbis regione. Templa Iſidis, & Serapidis conjuncta Fulvius l. 5., & Donatus lib. 3. cap. 6. putant eſſe illa, quorum reliquiæ in Hortis Cænobii S. Mariæ novæ etiam hodie permanent. Verumtamen non eſt omnino certum eadem Fana ad Iſidem, & Serapidem pertinere, etiam ob eam cauſam, quam affert Dio lib. 50. *Decretum, quod prioris anni exitu de Serapide, Iſideque factum erat inter prodigia non extremum videtur locum obtinuiſſe. Eorum duorum fana, quæ privatim non*

 nulli

nulli extruxerant , Senatus demoliri juſſit , quod eos non magnopere inter numina numerabat . Ubi ea ſententia obtinuit , ut publice jam coli inciperent , extra pomærium eos Deos collocaverunt . Verum de anno , quo id Senatus Conſultum factum eſt , non plane conſtat . Dio enim affirmat , factum fuiſſe anno DCC. Tertullianus vero DCXCVI. Piſone , & Gabinio Coſſ. Inter monumenta Muſéi Kirkeriani tegulam coctilem aſſervamus , anaglyphum Serapidem repræſentantem , jubatum leonina facie , ejuſque capiti loti flos eſt impoſitus . Alius ibidem Serapis eſt marmoreus , leonina pariter facie , duplicatiſque alis , corpore autem reliquo hominis formam habens , cui ſerpens ab extrema unius cruris parte uſque ad pectoris ſummitatem ſcapulas circumvolvitur.

TA-

VENERE CON LI POMI IN METALLO




VENERE CON LI POMI IN METALLO T. XXXIV



PERI

VENERE CON LI POMI IN METALLO



TABULA XXXV.

VENUS CUM POMIS.

VENEREM hanc habent etiam Cauſeus in Muſeo Romano Tom.1. ſect.2. n.52., & D. Abbas Rudolphinus Venuti in Collectaneis Rom. Antiq. Tab.7. Uterque autem interpretatur eſſe Deæ hujus e balneo exeuntis effigiem. Idipſum confirmant Sandalia quibus ſeſe jam induit, veſtis baſi ſuperpoſita, ſupra quam Vas unguentarium. Statua illa ex auro, eboreque compacta, quam Canacus Sycionius effecerat, pomum Victoriæ ſignum gerebat, quemadmodum etiam pomum gerens in Plautillæ, & Saloninæ nummis effingitur. Cum autem hic tria poma ſint, non alia eſſe autumo, quam tria mala illa aurea, quæ Venus Hippomeni dedit, ut iis in ſtadium ſingillatim projectis, Atalantam in curſu retardaret, ac vinceret. Rem totam Venus ipſa fuſius narrat apud Ovid. l.10. Met.

Eſt ager, indigenæ Tamaſeum nomine dicunt
Telluris Cypriæ pars optima; quam mihi priſci
Sacravere Senes, templiſque accedere dotem
Hanc juſſere meis; medio viret arbor in arvo
Fulva comas, fulvo ramis crepitantibus auro
Hinc tria forte mea veniens decerpta ferebam
Aurea poma manu &c.

TABULA XXXVI.

PRIAPUS.

PRiapum Strabo facit Bacchi, & Nymphæ filium. Pauſanias, & Diodorus ejus matrem fuiſſe Venerem ſcribunt. Quæ, ut eſt apud Apollonii interpretem, quod informis eſſet illum expoſuit, & in montem abjecit; ubi a Paſtore quodam nutritus. Helleſpontiacus a Virg. 4. Georg., & Lampſacenus paſſim ab aliis dictus eſt; *quia*, inquit Servius, *fuit de Lampſaco Civitate Helleſponti*. Corinthii appellarunt Orneatem ab Orneis Urbe ſibi vicina, unde Priapi ſacra ſuſpicatur Strabo in Helleſpontum fuiſſe translata. Ab ejus nomine Priapus dicta eſt Urbs maritima cum porticu in Helleſponto, quia, ut ibidem docet Strabo, ea regio vitibus abundabat; ideoque Bacchi filio eſſe dicatam volebant. Huc pertinet, quod, quemadmodum Cornelius Nepos, & ipſe Strabo ſcriptum reliquerunt, Xerſes Themiſtocli Lampſacum Urbem donarit, ut inde vinum perciperet. Priapum Suidas eumdem eſſe dicit, atque Horum. Phornutus, eumdem, ac Pana. Alii apud Dionyſ. Lambin. in Horat. eumdem, ac Bacchum ipſum. Πρίαπος enim quaſi Βρίαπος, id eſt *clamoſus*, propter eos, qui inter pocula immoderati eduntur clamores. In ſacris litteris, ubi Beelphegor memoratur, Iſidorus lib.8. & alii de Priapo eſſe ſermonem interpretantur. Idem ſentit Theophilactus in Oſeam. Lib.3. Regum cap.15. Priapi nomine ipſo appel-

appellatur. Cultum certe ab Iſraelitis inficiari nemo poteſt; nam eo, quem diximus loco, Aſa Rex amoviſſe narratur Maacham matrem ſuam, ne eſſet princeps in ſacris Priapi, & in luco ejus, quem conſecraverat, ſubvertiſſeque ſpecum, & confregiſſe ſimulacrum turpiſſimum, & combuſſiſſe in torrente Cedron. Quandonam tamquam Deus haberi cæptus fuerit, quæſtio eſt, de qua vide Gyraldum Syntagm.8. A plurimis certe nationibus, & etiam a Romanis hoc factum eſſe, conſtat. Pauſanias in Bœoticis ſignum commemorat in Helicone ei poſitum. Multa ei ſimulacra in hortis collocari ſolita, paſſim ex latinorum quoque Poetarum locis colligitur. Inter cæteros Ovidius in Faſtis.

Pomoſiſque ruber cuſtos ponatur in hortis,
Terreat ut ſæva falce Priapus aves.

Statuæ hujuſmodi erant vel ex ficu. Sic apud Horatium.

Olim truncus eram ficulnus inutile lignum.

Vel ex quercu apud Catullum, vel ex ligno alio, ut apud eumdem, eæque ſane quam informes, atque rudes, declarant incerti Scriptoris endecaſyllabi.

Inſulſiſſima quid puella rides?
Non me Praxiteles, Scopaſve fecit,
Nec ſum Phidiaca manu politus;
Sed lignum rude villicus dolavit;
Et dixit mihi: tu Priapus eſto.

Ponebatur igitur ad terrendas aves, & fures. Itaque Horatius.

Deus inde ego furum, aviumque
Maxima formido.

Hoc ipſum Hebræo indicatur vocabulo lib.3. Reg. cap.7. מפלצת Miphletz , hoc eſt *terror*. Ob eam cauſam adjiciebatur arundo. Horat.

Aſt importunas volucres in vertice arundo
Terret fixa , vetatque novis conſidere in hortis.

Adjiciebatur etiam falx non tam ad aves , homineſque terrendos , quam ad vites amputandas , ut opinatur Cornutus; Hinc nomina illa *Dei ruſtici*, *Ruriculæ*, *Agricolæ* a Tibullo præſertim adhibita.

Quamquam autem illum pueriliætate depingit Suidas , plerumque tamen barbatus , & canus effingebatur , ut habet vetus epigramma , & in hac noſtra Tabula exprimitur. Quotannis præter Aſini ſacrificium , quod ei fiebat ob eam cauſam , quam Ovidius affert in Faſtis , primitiæ ei fructuum offerebantur , quorum ſertum in manibus tenentem videmus , eo plane modo , quo illum Catullus deſcribit epig.18. v.10.

Florido mihi ponitur picta vere corolla
Primitus & tenera virens ſpica mollis ariſta
Luteæ violæ mihi , luteumque papaver ,
Pallenteſque cucurbitæ , & ſuaveolentia mala
Uva pampinea rubens educata ſub umbra.

Calathus in capite utique fœcunditatem ſignificat. Etenim , ut docet M. Antonius Muretus in notis ad Epigramma Catulli. *Putabatur hic Deus , quibus in agris ſtatueretur , coleretur que , fæcunditatem afferre.*

TA-


T XXXVI
PRIAPO
In Metallo

TABULA XXXVII.

SILVANUS.

NIsi velimus hunc etiam eſſe Priapum exiſtimare, Silvanum nominare illum poſſumus, quod nomen in ærea hac lamella inſcriptum eſſe video. Ejus parentes Crathin Sybaritam, & Capram fuiſſe narrat Ælian. Hiſt. Animal. l.6. cap.41.; Ex iiſque infantem puerum natum eſſe, qui caprina haberet crura, & humanam faciem. Eum poſtmodum in Deorum numerum relatum eſſe, appellatumque Sylvanum Deum; Deum videlicet ſylveſtrem, de quo prodigium eſt illud apud Julium Obſequentem cap.8. *Silentio noctis, ex ſilva Arſia ingens vox audita eſt, quæ Silvani credita eſt fuiſſe*. Inter numina, quæ agrorum præſidebant cultui, locum habuit; ideoque agreſtia, & ruſtica ſacrificia illi fiebant. Offerebatur exempli cauſa lac; quod apparet ex Horatio lib.1. epiſt.1.

Tellurem porco, Silvanum lacte piabant.

Non Telluri ſolum, ſed etiam Silvano ipſi porcum immolari ſolitum, conſtat ex Juvenalis verſu 445. Satyr. 6.

Cædere Silvano porcum, quadrante lavari.

Hujus Sacrificii mentionem facit M. Cat. in lib. de re ruſtic. Sed ibidem Silvanum *Martem Silvanum* appellat.

Qui primi fortaſſe omnium Silvano divinam rem fecerint Virgilius docet.

Sil-

Silvano, fama eſt, veteres ſacraſſe Pelaſgos
Arvorum, pecoriſque Deo lucumque, diemque.

Mulieribus tamen ad eam rem divinam adeſſe non licebat, ut eſt apud eumdem M. Catonem. Habebatur tutor finium, in quam ſententiam Horat. lib. Epod. od.2.

Qua muneretur te Priape, & te pater
Silvane tutor finium.

Aliqui exiſtimarunt, eſſe eumdem ac Pana; ſed fortaſſe non recte. Nam Virgilius illos diſtinguit. Primo enim Georgicorum libro Pana primum invocat: *Pan ovium cuſtos &c.* deinde tribus fere interjectis verſibus:

Et teneram ab radice ferens Silvane cupreſſum.

Cur autem teneram cupreſſum hanc fert? Quod Cypariſſum puerum in deliciis habuerit. Eſt enim in fabulis, Cypariſſum hunc cervam habuiſſe manſuefactam, eamque plurimum adamaſſe. Hanc cum Silvanus imprudens interfeciſſet, puer ob dolorem nimium contabuit: cujus mortem ægre ferens Silvanus, in arborem cupreſſum eum commutavit. Vetus auctor de limit. apud Rigalt. pag.202. tres fuiſſe Silvanos docet, Domeſticum, Agreſtem, & Orientalem; ſed fortaſſe hi omnes unum eumdemque Deum conſtituunt; nominibus tamen pro diverſitate locorum diverſis. Silvano inſcriptiones dicatæ afferuntur plures a Gruthero, additis etiam imagunculis pag.63. ubi coronam habet pineam. pag.643. ubi, ut Gruteri ipſius verbis loquar, ſtat inter quercum & palmam, altera manu falcem putatoriam, tenet altera ramum, in cujus

extre-

extremo neſcio an nux pinea emineat. A dextris ad altare tibicem canit, adſtantibus duobus aliis. A ſiniſtris duo item adſtant, quorum hic neſcio quid vaſculi utraque manu capiti impoſitum ſuſtentat. Ille porcam ducit vittatam. Subſcribitur:

SACRVM SANCTO SILVANO VOTO SVSCEPTO EX VIS.

& 64. 4. *Romæ*, inquit, *in domo Capranica eſt elegans Silvani nudi ſimulacrum capite Herculeo, pineis circumdato, dextra falcem putatoriam, ſiniſtra ramum pineum, ut ſupra, tenens, fructuſque, & uvas in veſte ſub ala gerens, ocreis item indutus, & aſſidet ei lupus arrectis auribus. In baſi eſt:*

SILVANVS
CVSTOS

Virgilius Silvanum coronat florentibus ferulis, & liliis. Eclog. ultima:

Venit & agreſti capitis Silvanus honore
Florentes ferulas, & grandia lilia quaſſans.

Silvanus hic noſter, ut vere dicam, neque pineum, neque cupreſſinum ramum habet; non falcem putatoriam, non ocreas, non contextam ex ferulis, & liliis coronam. Et hæc eſt cauſa, quamobrem dubito, an Silvanus Deus habendus ſit. Poteſt tamen fieri, ut idcirco illa non habeat, quia totus occupatus eſt in fructuum onere ferendo, quod penulæ ſinu continet, atque ſuſtentat. Etenim primitias illi oblatas fingere animo poſſumus a poſſeſſoribus, quas omnibus Diis ruſticis offerri ſolitas Apulejus commemorat; ex iiſdem-

que primitiis ipſum ſibimet, vel illi alios coronam contexuiſſe. Cur, & quomodo Deus puerperis infeſtus eſſet, vide apud S. Auguſt. lib.6. de Civit. Dei, qui ex Varrone rem totam accepiſſe ſe dicit, eamque uberius, ac fuſius narrat.

TABULA XXXVIII.

VERTUMNUS.

IN hac tabella Vertumni nomen inſcriptum reperio. Ego vero Vertumni hanc effigiem eſſe affirmare non audeo, præſertim cum apud Propertium ipſe dicat ſeſe, tot formas in uno corpore habere, quot certe a pictoribus, atque ſculptoribus unica imagine exprimi nequaquam poſſunt. Vertumnum tamen eſſe credamus, aut fingamus ſaltem. Vertumnus igitur loquens apud eumdem Propertium lib.4. eleg.2. *Volſinos primum ſe deſeruiſſe focos*, commemorat: (Volſinium nunc Bolſena Urbs Hetruriæ ex duodecim primis Thuſcorum coloniis,) deinde Romam ſe contuliſſe. Hic in Vico Thuſco fuit ejus ſignum, & templum ad Opis, & Cereris aram, inquit Jo. Roſinus Antiquit. Rom. l.2. cap.20. Cicero tamen 3. in Verrem ſolum de ſigno loquitur: *Quia a ſigno*, inquit, *Vertumni in Circum Maximum venit*. De ſolo item ſigno Aſconius etiam Pedianus in eumdem Ciceronis locum. Vicum autem, in quo erat Vertumni ſignum, a Thuſcis, qui multo ante Romulum venerant, eumque habitabant, Thuſcum dictum fuiſſe, M. Terentius Varro contendit;

tendit; & *ab eis*, inquit, *dictus Vicus Thuſcus*, *&* *ideo ibi Vertumnum ſtare*, *quod is Deus Etruriæ*. Aſconus Pedianus in Verr. 3. *Signum Vertumni*, inquit, *in ultimo Vico Thurario eſt*, *ſub Baſilicæ angulo flectentibus ſe ad poſtremam dexteram partem*. Hi duo Scriptores non pugnant inter ſe, ut oſtendit Donatus de Urbe Roma lib. 2. cap. 22. Nam vicus Thurarius, ſive Jugarius a porta Carmentali mittebat in Forum, & vico Thuſco jungebatur in Velabro; adeoque ſignum Vertumni erat in fine utriuſque vici, ubi jungebantur. Appellatus autem Vertumnus fuit, ut docet idem M. Terentius Varro *a converſis aquis inundantis fluminis*, ſive, ut interpretatur Propertius, *a perceptis fructibus vertentis anni*, ſive, ut Aſconius, *quod eſſet invertendarum rerum*, *ideſt Mercaturæ Deus*. Huc facit illud Horat. lib. 1. ep. 1.

Vertumnum, *Janumque liber ſpectare videris*.

Quem Horatii locum Acron nobilis Grammaticus ſic explicat: *Vertumnus*, *&* *Janus Dii ſunt*, *qui præſunt negociis ementium*, *&* *vendentium*, *ante quorum templa erant loca*, *in quibus cum cæteris rebus etiam libri venales erant*. Acron igitur in vico Thuſco non ſolum Vertumni ſignum, ſed etiam templum fuiſſe cenſet. Si noſtrum hoc ſimulacrum eſt vere Vertumni ſignum, penulam cucullatam, utpote Deus ruſticus adhibet, ut ſe quoque ad mortalium ruricularum mores, & in agris verſantium conformet. Dixit apud Propertium ſe Vertumnum vocari:

Quia vertentis fructum percepimus anni.

Poma;

Poma, & uvæ in dextera manu fructus Autumni ſunt; cornu in ſiniſtra, quod erat antiquorum poculum, Hyemis fructus deſignatur, nimirum vinum, quod hyeme potiſſimum matureſcit, & ad bibendum eſt aptius. In quam ſententiam Horatius lib. 1. od. 9.

Diſſolve frigus, ligna ſuper foco
Large reponens; atque benignius
Deprome quadrimum Sabina
O Taliarche merum diota.

Modius inverſus, in quo Vertumnus ſedet, frumenti, frugumque aliarum, quæ ſunt Æſtatis fructus, eſt index. Caprina pellis cum caprino crure, quod circa brachium ſiniſtrum dependet, Veris fructum deſignare poteſt. Vere enim oves, capræ, pecudeſque aliæ maxime fœcundantur. Hæc omnia divinans, & ſomnians dixi. Video enim ſimulacrum hoc accommodari Baccho, aliiſque Diis ruſticis poſſe. In Muſeo Cortonenſi Vertumni ſimulacrum eſt forma longe alia: eſt enim indutus tunica perbrevi, ſed præcincta; falcem habet in dextra; in ſiniſtra vero neſcio, an pallium quodcumque, an penulam cucullatam? Si cui poteſtas datur, tegumentum illud explicet, atque diſpiciat. Additur Cortonenſi illi Vertumno canis ad pedes, qui ad ruris cuſtodiam apprime Diis Ruſticis convenit. In Muſeo Etruſco D. Petri Franciſci Gorii Tab. 18. eſt Idolum penulatum omnino, & cucullatum, quem Virtumnum eſſe ille arbitratur, & de quo S. Auguſt. de Civit. Dei lib. 6. cap. 9. Gyraldus etiam Hiſtor. Deor. Syntagmat. 1. *Virtumnus*, inquit, *& Sentinus Dei fuere obſcuriſſimi, ut ait Auguſtinus libro ſeptimo, quorum alter vitam, alter ſenſus a puerperio largiri credebatur.*

TA-



Digitized by Google

TABULA XXXIX.

URSUS, ET TAURUS.

QUID ſibi voluerit artifex, cum Urſi hujus, & Tauri pugnam effinxit, affirmatè dici non poteſt. Quod menti ſtatim occurrit, eſt Urſus eſuriens, qui Taurum aggrediatur, ut ejus interfecti carnes depaſcat. Urſi quidem, teſte Plinio lib.10. cap.73. *Fruge, fronde, vindemia, pomis vivunt, & apibus,* (hoc eſt melle), *cancris etiam, atque formicis*. Carnes tamen belluarum aliarum etiam appetunt, ut recte animadvertit Benedictus Arias Montanus p.1. Hiſt. Nat. 293.

Hinc illa Horatii Epod.16.

Nec veſpertinus circum gemit Urſus ovile.

Et ep.l.1. de Mænio homine voraciſſimo,

Pernicies, & tempeſtas, barathrumque macelli

Quicquid quæſierat, ventri donabat avaro.

Et

Patinas cœnabat omaſi

Vilis & agnini, tribus Urſis, quod ſatis eſſet..

Hic tamen exiſtimandum potius eſt, venationem unam ex illis deſcribi, quæ dabantur in Circo, vel in Amphitheatro. In his ſpectaculis ſine dubio emittebantur etiam Urſi, quod indicat Claud. in Paneg. Manlii:

Ipſa truces fœtus, captivaque ducat ab antris

Prodigia , & cædis ſitientem deſerat arcum


Conveniant Urſi, magna quos mole ruentes
Torva Lycaonitis Helice miretur ab aſtris.

Et Symmac. lib.2. ep.75. *Interea nos Urſis ſæpe promiſſis, & diu deſperatis ſub ipſo articulo muneris indigemus. Vix enim parvos catulos macceratos inedia, & labore ſuſcepimus.* Plin.l.8.cap.36. *Annalibus notatum eſt M. Piſone, & M. Meſſala Coſſ. ad 14. Kal. Oct. Domitium Ænobarbum Ædilem curulem Urſos Numidicos centum, & totidem Venatores Æthiopas in Circo dediſſe.* Et Liv.l.44. Q. Marcio Philippo II. Q. Servilio Cæpione Coſſ. *Notatum eſt ludis Circenſibus P. Cornelii Scipionis Naſicæ, & P. Lentuli Ædilium Curulium 63. Africanas, & 40. Urſos, & Elephantos fuiſſe.* Multa parium genera afferuntur a Martiali Elephanti, v.g. cum Tauris. Multa etiam a Panvino, ubi de lud. Circ. Sed pugnam Urſi cum Tauro non reperio.



TA-

Digitized by Google


LUCERNA DI METALLO
T. XL.

TABULA XL.

CAPUT BOVIS IN LUCERNA ÆREA.

DE lucernis veterum ſatis, ſuperque Fortunius Licetus ſcripſit, Lucernæ definitionem, & ſynonima plura etiam aſſerens, innumeraque prope earum genera. Multo elegantius, atque copioſius eruditiſſimi Piſaurenſes Viri Primarii Marcellus Paſſeri, & Hannibal Olivieri argumentum hoc pertractarunt. Earum magnum etiam numerum delineavit, & æri incidit Petrus Sanctes Bartoli, quibus doctiſſimus Joannes Petrus Bellorius interpretationes adjecit. Euſebius de Præparat. Evang. l.1. cap.6., & Clemens Alexand. Stromat.1. earum inventores Ægyptios faciunt. Ob varium illarum uſum plura etiam fuerunt Lucernarum nomina; aliæ enim dicebantur Convivales, ſeu Triclinares, aliæ Cubiculares, aliæ Sacrificales &c., aliæ Sepulcrales, eæque perpetuæ, vel æternæ. Verum de hiſce poſtremis magna eſt diſſenſio. Octavius Ferrarius tamquam fabuloſas explodit. Kippinghius Antiquit. T.64. perpetuitatem hujuſmodi, atque æternitatem defendit. Nihil autem eſt, quod in veterum Lucernis expreſſum non reperiatur, vel cujus figuram, ac formam ipſæ non exprimant. Videas enim in illis, vel ex illis elaboratos Deos, Deaſque cæleſtes, terreſtres, atque ſilveſtres, Heroas, Homines item, eorumque capita, aves, feras, monſtra, naves &c. Maximum earum numerum in Kirkeriano tum ærearum, tum fictilium aſſervamus. Earum nonnullas commemorare

rare placet, illarumque rerum nomine appellare, quarum ſimilitudinem gerunt. Ex ære præcipuæ ſunt Anſer, Corvus, Silenus hedera coronatus, Delphin, Satyrus, Rami duo palmarum, inter quos SSmum Chriſti Domini Monogramma ☧; Calceus cum Cruce in talo. Bovis caput hoc ipſum, utpote quod vel eſt omnino idem, ac illud quod in conſpectum hic damus, vel ſaltem ei quam ſimillimum, quodque prolatum etiam a D. Rudolphino Venuti in Collectaneis Romanarum Antiquitatum aſpicimus. E fictilibus autem dignæ ſunt apud nos, quæ videantur Crux Græca cum Chriſti Monogrammate ☧, & alia fortaſſe unica. in qua idem Monogramma, & circum circa duodecim SS. Apoſtolorum capita. Hanc D. Franciſcus de Ficoronis P. Contuccio Contucci ſibi amiciſſimo, & Kirkeriani Muſæi Præfecto promiſerat, & poſt Ficoroni obitum illius Fratris filius hæres ſtare promiſſis voluit. Hujus Lucernæ typus videri poteſt in Muſei Cortonenſis noviſſime in lucem editi Tab.85. Lucernarum elegantiſſimarum ſchemata multa reperies etiam apud eumdem D. Rudolphinum Venuti in laudatis ejus Collectaneis, multoque plura apud Michaelem Angelum Cauſeum in Muſeo Rom. Tom.2. Cæterum de ſignificatione noſtri Bubuli capitis has conjecturas idem eruditiſſimus Venutus affert una cum Illmo Præſule Fabretto Inſcript. cap.7. pag. 532. Lucernam ille hanc ad Lunam pertinere putat; ſiquidem Luna, ut docent Julius Firmicus, atque Porphyrius in Tauro exaltatur. Deinde Lunam Boum agitatricem vocari a Nonno animadvertit lib.8., ejuſque currum a Bobus tractum videri in Gordiani nummo Theſauri Patiniani. Præterea


LUCERNA DI METALLO
T. XLI.

terea in hymno Dianæ Bovis cornua Lunæ gratiſſima eſſe dici. Apimque illum Tauri cæleſtis imaginem Lunæ, quæ eadem eſt, atque Iſis, ſacrum a Mithologis eſſe creditum. Tam aptis, congruiſque interpretationibus ſtulte facerem, ſi aliquid addere auderem, aut eſte addendum putarem.

TABULA XLI.

CYGNUS.

Cygnis veteres plurimum tribuebant. Quare nihil mirum eſt, ſi eorum capita ornamenti loco ponerent; inſtrumentaque nonnulla, ut eſt lucerna hæc, Cygni figuram, ac formam habere vellent. Memini me legere eorum animam immortalem eſſe Pythagoram exiſtimaſſe. Illos divinare futura perſuaſum habebat Cic. Tuſc. l.1. *Cygni*, inquit, *non ſine cauſa Apollini dicati ſunt; ſed quod ab eo divinationem habere videantur: quia providentes, quid in morte boni ſit, cum cantu, & voluntate moriuntur*. Hoc idem ſenſerat Plato in Phædro Cygnos tum in omni vita reliqua, tum maxime ſub ejus finem muſicos, & canoros eſſe contendens. Cicero autem ſummis laudibus efferre volens orationem poſtremam ab eximio Oratore L. Craſſo in Senatu habitam: *Illa*, inquit, *tamquam Cygnea fuit divini hominis vox, & oratio*. Quamquam opinio hæc & Cicerone, & Platone ipſo antiquior fuit. Siquidem, teſte Pierio Valeriano lib.13., Ægyptii Sacerdotes ſenem muſicæ ſtudioſum per hieroglyphicam Cygni effigiem ſignificare conſueverunt, *quip-*

ſe quem, inquit, *omnes eo ſuavius modulari fere-bant, quo magis in ſenium vergis*; eamque ob cauſam M. Horatius Flaccus lib.2. od.10. ingraveſcente jam ætate ſeſe mutatum iri in Cygnum prædixit.

Jam jam reſidunt cruribus aſperæ
Pelles, & album mutor in alitem
Superne; naſcunturque leves
Per digitos, humeroſque plumæ.

In hac ſententia fuerunt permulti alii; nimirum Callimachus, Æſchilus, Theocritus, Ariſtophanes, Antipater, Ariſloteles, Philoſtratus, Oppianus, Tzetzes, Lucretius, Seneca, Martialis, & ex recentioribus Hieronym. Cardanus Ovidio conſentiens, qui in epiſtolis:

Sic, ubi fata vocant, udis abjectus in herbis
Ad vadu Mæandri concinit albus olor.

Et lib.2. Faſt.

Flebilibus numeris, veluti canentia dura
Trajectus penna tempora cantat olor.

Contradicunt tamen Athenæus, Plinius lib.10. cap.23., & ex recentioribus Julius Scaliger ad Cardan. lib.15. nec non Brodæus Comment. in epig. Græca. Immo Lucianus non modo ſuavius Cygnos canere ſub vitæ exitum negat; ſed cantum eorum etiam reliquo vitæ tempore omnino fabuloſum eſſe, ait in lib. de Helectro, & Cygnorum cantu apud Eridanum. Ælianus vero lib.1. variæ Hiſtoriæ c.13., cum dixiſſet cantandi ſtudioſos eſſe Cygnos communi ſermone pervulgatum eſſè, tandem concludit ἐγὼ δὲ ᾄδοντος κύκνου οὐκ ἤκουσα, ἴσως δὲ οὐδ' ἄλλος. *Ego vero Cygnum numquam audivi canere, fortaſſe neque alius.*

TA-


BVE API
In Base di Marmo

TABULA XLII.

APIS.

BOS, inquit Plinius lib.8. cap.46., *in Ægypto etiam Numinis vice colitur, Apim vocant. Inſigne ei in dextro latere candicans macula, cornibus Lunæ creſcere incipientis; nodus ſub lingua, quem cantharum appellant. Non eſt ſas, cum certos vitæ excedere annos, merſumque in Sacerdotum ſonte enecant quæſituri luctu alium, quem ſubſtituant; & donec invenerint, mærent, deraſis etiam capitibus. Nec tamen uſquam diu quæritur: inventus deducitur Memphim a Sacerdotibus. Sunt delubra ei gemina, quæ vocant thalamos; auguria populorum; alterum intraſſe lætum eſt; in altero dira portendit. Reſponſa privatis dat, e manu conſulentium cibum capiendo. Germanici Cæſaris manum averſatus eſt haud multo poſt extincti. Cætero ſecretus cum ſe proripuit in cœtus, incedit ſummotu lictorum, grexque puerorum comitatus, carmen honori ejus canentium, intelligere videtur, & adorari velle.*

Cum novum Apim invenerint, addit Diodor. Sicul., *in Civitatem Nili Vitulum perducunt, in qua eum nutriunt diebus quadraginta. Deinde in navim contectam habitaculum aureum habentem introducentes, & ad Memphim, ut Deum, ducentes, in Vulcani fano collocant*. De luctu poſt mortem veteris Apidis Tibull.

Pubes,
Barbara Memphitem plangere docta bovem.

De

De comitatu, atque pompa Ovid.

Et comes in pompa corniger Apis erat.

Illum ex Vacca fulgure afflata conceptum fuiſſe, Ælianus narrat. Divinitus, & cœleſti igne conceptum, Mela Pomponius affirmat. Herodotus a Græcis Epaphum appellari, ait. Negat Ælianus, Epaphumque multis poſt ſeculis extitiſſe tradit. Quomodo Apis evaſerit Serapis, diximus, ubi de Serapide. Ab Ægyptiis quibuſdam Sacerdotibus eumdem Apim, atque Oſirim eſſe habitum, teſtis eſt Plutarchus, & Martianus eo verſiculo:

Te Serapim Nilus, Memphis veneratur Oſirim.

Hunc olim Apim interfecit Perſarum Rex Ocnus, & Aſinum conſecravit, Ægyptioſque juſſit illum colere. Quamobrem, ut ſcribit Ælianus, ab Ægyptiis Sacerdotibus Aſini odio habiti. Quibus autem argumentis Illuſtriſſimus Epiſcopus Daniel Huetius adductus fuerit, ut Apim eumdem, ac Moyſen, vel etiam Joſephum fuiſſe crederet, vide apud ipſum in demonſtr. Evang. Prop.4. cap.4. num.4., qui & Propoſ.4. de libro Joſue num. xii. Apidas fuiſſe affirmat illos vitulos, quos Aaron, & Jeroboam Hebræis adorandos propoſuerant.

Cæterum, ut ex Mythologis colligit Carolus Stephanus, Apis Argivorum Rex fuit Jovis filius ex Niobe Phoronei filia alio nomine Oſiris appellatus, qui & Iſidem uxorem duxit; & Achajæ Regno, Ægialeo fratri conceſſo, in Ægyptum trajecit: ubi cum homines rudes ad mitiorem vitæ cultum traduxiſſet, colendarumque vincarum rationem eos edocuiſſet, concordibus omnium ſuffragiis Rex eſt electus. Cumque aliquamdiu mira pruden-

prudentia, parique clementia Ægypti regnum adminiſtraſſet, multaque in ejus regionis populos beneficia contuliſſet, vita functus pro Deo eſt habitus, eumque Ægyptii ſub vivi bovis imagine coluerunt. Bos autem hic, ut narrat Strabo lib.17.; in ſepto quodam alebatur. Ante id ſeptum aula quædam erat, & in ea aliud ſeptum matris ejus bovis. In hanc aulam nonnumquam Bos Apis emittebatur, præſertim ut peregrinis oſtenderetur. Alias enim per feneſtram videbatur. Et ſi quando extra ſpectaretur, ubi paulum exſultans luſiſſet, rurſus in proprium locum recipiebatur.

TABULA XLIII.

ISIS.

SUNT qui ſimul ac Mulieris Ægyptiæ formam in veterum monumentis aſpexerint, illam ſtatim Iſidem eſſe ajant: quam hoc non ſemper vere dicant, vide P. Athanaſium Kirkerum in eo Tomo, quem inſcripſit: *Obeliſci Ægyptiaci nuper inter Iſæi Romani rudera effoſſi &c.* Ibidem ex Ægyptiarum fæminarum imaginibus, atque ſtatuis quaſdam ingeniculatas eſſe docet, easque in obeliſcis Romanis videri poſſe. Hæc autem deorum Meſi*vm*, quos mediatores vocant, ſimulacra eſſe ſuſpicatur, ejuſmodique ſtatuas Apotropæas, ſive Meſitas appellat. Inſuper earum affert exempla duo, quorum alterum in Ædibus Farneſianis, alterum in Oppido Arignani extare dicit. Ego vero, prætermiſſis aliis, quæ Romæ

præſertim palam ante oculos omnium ſunt, tria ex Muſeo Kirkeriano proferre poſſum. In ipſo enim ejus veſtibulo aram ex marmore poſitam videas ex Hadrianæ Tiburtinæ Villæ ruinis quondam effoſſam triangularis plane figuræ. In ſingulis autem extremis angulis, ſingulæ ingeniculatæ mulieres aram ipſam inſtar Caryatidum quodammodo fulciunt, ac ſuſtinent. Verumtamen ſymbola, quæ baſi huic noſtræ inſculpta ſunt, ad Iſidem certe pertinent. Ibides enim Lunæ ſacras eſſe aves Ælianus, & Plinius affirmant. Ille Hiſt. Animal. l.2. c.28. Hic Hiſt. Nat. l.10. cap.23. & 28. Atqui Iſidem eſſe Lunam quis neſcit? Iſidi ergo Ibides ſacræ ſunt; proindeque recte huic Ægyptiacæ imagini appoſitæ; quæ ſi minus Iſis ipſa eſt, Iſidis certe Sacerdos fœmina eſſe poteſt. Iſidi pariter dicatum fuiſſe Anſerem, qui in dextero extremæ baſis latere cernitur, docent Herodotus lib.2., & Lactantius lib.1. Sertum quoque fortaſſe ex meliloto, quod Ibides illæ geminæ ſuſpenſum tenent, ad hanc Deam qua ratione pertineat, non facile dixerim. Plin. lib. 21. cap.9. (ſi tamen germana lectio eſt): *& pleraque*, inquit, *in externis terris naſcuntur... Ergo in coronamenta folio venere meliloton, ſpireon &c.* Melilotos enim herba croco valde ſimilis, quaſi dulcis, & mellea lotos eſt. Tabellam, quam effigies gremio complectitur nihil prohibet, quominus votivam eſſe opinemur, & ex illis unam, de quibus Tibullus ad Meſſalam lib.1. eleg.3.

Quid tua nunc Iſis tibi Delia? quid mihi proſunt
Illa tua toties æra repulſa manu?

Nunc



Signum Iſiacum

Nunc Dea, nunc ſuccurre mihi, jam poſ-
ſe mederi,
Picta docet templis multa tabella tuis.

Et Juvenal. Sat.12. v.28.

Pars dira quidem, ſed cognita multis
Et quam votiva teſtantur fana tabella
Plurima pictores, quis neſcit ab Iſide paſci?

In tabella ipſa effictì apparent Pulli gemini vel columbini, vel gallinacei. Quorſum? Latonæ gallum gallinaceum in amore exiſtimatum eſſe ab antiquis ait Ælianus, quod ei parturienti affuerit, & quod etiam nunc parientibus adſit, eiſque faciles partus efficiat. Sic enim ſcriptum apud Gyraldum reperio Syntag.xii. Hiſt. Deorum. Potuerunt igitur pulli hujuſmodi placere etiam parturienti ipſi quoque Iſidi. Si eam certe, quam antea diximus, inſpiciamus Muſei Kirkeriani aram, in una ejus facie videbimus Gallum, & Facem; in altera Diſcum, Siſtrum, & Palumbes duos; in tertia Ciſtam, quam vocant myſticam, crumenas, nuces pineas, atque poma. Cæterum quæ Mulieres Ægyptiæ Tabellas hujuſmodi in ſinu continent, non abſurde, ut ante dixi, exiſtimari poſſunt, Sacerdotes fœminæ, quæ donaria ad Iſidis templum adeuntium accipiant. Marmoreum ſane unum ex hujuſmodi ſimulacris habemus in eodem Kirkeriano, in cujus Tabella panes, aves extant, & alia hujuſmodi: immo ibidem idolum æneum virili ſpecie aſſervamus ingeniculatum pariter, tabellamque omnino ſimilem præferens.

TA-

TABULA XLIV.

ISIS.

HÆC etiam alia eſt fortaſſe Iſiacæ Sacerdotis effigies. Mulierem in dextera ſuperiori parte formoſam ſuperne, & in piſcem deſinentem, Sirenem eſſe affirmare non audeo. Multis tamen perſuaſum hoc fuit: interque cæteros Cornelio a Lapide, cujus in cap.13. Iſaiæ hæc eſt interpretatio, & narratio: *Siren eſt ſpecies monſtri aquatici, & marini ore, & pube tenus virgo, inferiore piſcis, qualis noſtro ſeculo in Friſia captus vixit multos annos inter homines, & didicit nere*. Fortunius quoque Licetus hujus formæ monſtrum in Lucerna Sirenem vocat; itaque vocatum apud Lexicographos nonnullos invenio. Sirenem tamen in nummo familiæ Petroniæ non deſinit in piſcem, ſed in avem; ita ut inferior pars ſit Gallinacea; & ita deſinere illas oportere pluribus Mithologorum teſtimoniis allatis clare demonſtrat Gyrald. Hiſt. Deor. Syntagmat.5.

Si quis autem animum induceret, monſtrum in hoc marmore inſculptum Sirenem credere, Sirenis figura Iſidis eloquentiam denotari dicerem; ſceptro autem, quod in ſiniſtra manu tenere videtur Siren & falcem, quam in dextera, regiam Iſidis poteſtatem, necnon frumenti, frugumque ſationem, & agrorum cultum, quem Iſis Ægyptios docuit. In illa enim columna, de qua Diodorus, inſcriptum erat:

EGO

T. XLIX



Signum Isiacum

EGO ÆGYPTI REGINA
EGO ISIS FRVGVM INVENTRIX.

De globo, cui ſerpens eſt circumvolutus, ſatis multa ſupra diximus. Candelabrum, Vas, Ara lapidea, teniæque e temporibus dependentes, nemo ignorat Deæ huic, illiuſque Sacerdotibus convenire. Symbola reliqua, & litteræ adeo ſunt res obſcura, ut cum tractatam niteſcere poſſe deſperem, ſatius eſſe ducam omnino prætermittere.

TABULA XLV.

ISIS.

NIHIL mirum eſt, ſi tam frequentia in Urbe ſimulacra vel Iſidis, vel Sacerdotum Iſidis reperiantur, cum ibidem non ſolum tot ei ædiculæ, ac Templa dicata fuerint, ſed etiam ab ejus nomine Regio tertia nomen acceperit, ut videre unuſquiſque poteſt in Pub. Victoris de Urbis Romæ regionibus, & locis libro. Quamquam Dea hæc peregrina erat; receptam tamen Romæ ab Senatu fuiſſe conſtat, quod Lucanus lib.8. commemorat;

Nos in Templa tuam Romana recepimus Iſim
Semideoſque canes.

Et ante illum Sex. Aurel. Propertius hoc ipſum vituperaverat lib.2. eleg.33. De illa enim loquens ſic ait:

An tibi non ſatis eſt fuſcis Ægyptus alumnis
Cum tibi tam longa Roma petita via eſt?

Aliquotiens tamen expulſa fuit, præſertim Piſone, & Gabinio Coſs. qua de re Tertull. in Apologet. cap.6. Sed poſtea iterum reſtituta, magno in honore fuit, ejuſque Templum poſt illa tempora ei ædificatum celebrant Dionyſ. Halicarnaſs. lib.5., Ælius Spartianus in Hadrian., & Ælius Lamprid. in Severo. Meminit etiam Juvenalis Satyr.6.

A Me-

Google



Signum Isiacum

A Meroe portabit aquas, quas ſparget in æde
Iſidis, antiquo quæ proxima ſurgit ovili.

Plura fuerunt in Urbe templa Iſidis. Satis celebratum eſt illud, quod erat in Campo Martio, de cujus tamen ſitu aliqua controverſia eſt. Marlianus lib. 5. cap. 3. illud in Via Lata collocat ad S. Marcelli Ædem. Fulvius prope Viam Latam, & Templum S. Mariæ in Aquiro. Donatus concludit fuiſſe, ubi nunc pars eſt PP. Dominicanorum Cænobii ob Oſiridis ſtatuam ibi repertam, atque refoſſam. Cum tot Templa Iſidis in Urbe fuerint, poteſt fieri, ut Baſis hæc Iſidis figuram exprimens, ad illorum aliquod pertinuerit.

Eam videmus raſo capite. Ferunt enim quidam illam, cum de Oſiridis nece nuncium accepiſſet, ſibi caput totondiſſe; quamobrem Sacerdotes ejus quoque radere illud ſolitos. Turpe tamen eſſet ſi fæminæ caput raſum appareret, periculumque eſſet, ne frigoris vim ſuſtinere non poſſet, & epiphora laboraret; & idcirco velo contectum eſt. Hoc tamen velum ipſum in cauſa fortaſſe fuit, quare Iſidis Sacerdotes lineis quibuſdam veſtibus induerentur. De illis Ovid.

Nunc Dea linigera colitur celeberrima turba.

Et Juvenalis:

Qui grege linigero circumdatus, & grege calvo.

Linigeram ipſam quoque Ovidius idem appellat:

Vidi ego Linigeræ numen violaſſe fatentem
Iſidis Iſiacos ante ſedere focos.

In

In dextera baſis parte ſerpens eſt fortaſſe ille argenteus, quem in ſacra Iſidis pompa deferri ſolitum Ovidius memorat lib.9. Met. fab.12. Argenteum enim interpretantur fuiſſe Raphael Reg., & clarius explicat Juven. Sat.6. v.536.

Et moviſſe caput viſa eſt argentea ſerpens:

Serpentem Solem ſignificare alibi diximus, & confirmat Plutarchus in lib. de Iſide, & Oſiride. Globum igitur Serpentis capiti ſuperſtantem, eſſe globum terreſtrem dicamus, circa quem annuo curſu Sol circumvolvitur. In læva baſis parte Sirenem inſculptam aſpicimus. Conſule Pierium Valer. lib.20. ponentem Sirenas pro hieroglyphico eloquentiæ, feliciſſimaque perſuadendi vi; unde dictum illud de Catone Grammatico: *Cato Grammaticus Latina Siren*, Eloquentia hujuſmodi multum perſpecta eſt cum Iſis Ægyptiis populis leges ferret. Et hoc ipſum indicabat columna, in qua, teſte Diodoro Siculo, res ab ea geſtæ deſcriptæ fuerant: EGO ISIS SVM ÆGYPT' REGINA, A MERCVRIO ERVDITA: QVÆ EGO LEGIBVS STATVI NVLLVS SOLVET &c.

Plutarchus quoque in lib. Iſid., & Oſir. narrat de pavimento Templi Iſidis, in quo inſcriptum erat: EGO SVM QVICQVID FVIT, EST, ET ERIT, NEC MEVM PEPLVM QVISQVAM MORTALIVM RETEXIT.

TA-



In Base di Marmo

TABULA XLVI.

MERCURIUS CYNOCEPHALUS, ET HARPOCRATES.

ANUBIM *Nepthe*, inquit Plutarchus, *natum tradunt, & ipſam quidem Nephthen Typhonis timore ante maturi tempora partus perculſam puerum ejeciſſe potius, quam peperiſſe*. Hunc autem fuiſſe puerum illum, ex quo Iſis Oſiridis necem reſcivit; deindeque Anubidis nomine cultum eſſe, additumque Diis cuſtodem, eodem pacto, quo canes ad mortalium cuſtodiam adhiberi ſolent. Euſeb. lib.2. de Præpar. Evang. dicit, Anubim fuiſſe cuſtodem corporum Oſiridis, & Iſidis, & propterea Canino capite figuratum eſſe. Alii apud Gyraldum Anubim tradunt Oſiridis fuiſſe filium, Patremque ſecutum eſſe in expeditione bellica, & canem pro inſigni geſtaſſe; qua ex re Canina facie ab Ægyptiis fuiſſe cultum. Tradunt id quoque alii: *Iſidis canes, quo tempore Oſiris quæſitus erat, & feras, & obvios omnes amoviſſe, unaque Oſiridis corpus inveſtigaſſe; ideoque in ſolemnitatibus Iſidis pompam præiſſe vetuſto more*. Hæc Gyrald. Syntagm.9. *Hunc autem Ægyptiorum Deum Anubim, nullum alium eſſe volunt*, inquit Servius Æn.l.8. *niſi Mercurium; ideoque ab illis Canino capite pingi, quia nihil eſt cane ſagacius, & Mercurius eſt Deorum omnium ſagaciſſimus*. Ob eam cauſam cum Anubis, tum Mercurius, Cynocephali dicti ſunt ἀπὸ τῆς κεφαλῆς, καὶ κυνὸς *capite*, & *cane*; quod advertunt etiam

Tertullianus in Apologet.. & S. Auguſt. de Civit. Dei. Cæterum ſi fides habenda Plinio eſt, exiſtunt veri Cynocephali; animalia ſcilicet non fabuloſa apud Indos canino capite, & latratu. Ita lib.6. c.30, Hiſt. Nat. Quid autem ſignificare voluerit Cic. l.6. ad Att. ep.1. cum dixit de P. Vedio: *Venit mihi obviam cum duobus eſſedis... erat præterea* Cyno*cephalus in eſſedo, nec deerant onagri*: conſului interpretes, peritos interrogavi, nec ſcire potui. Utrum unum ex hujuſmodi monſtris, tamquam ſimia, aut catulus diportabatur? Onagri non profecto? Utrum aliquis ex Vedii comitibus callidiſſimus? Quemadmodum autem omnia fere Ægyptiorum numina, eorumque Religio, ſacra, atque ritus fuerant in Urbem tranſlata, ita etiam Anubis; qua de re Lucanus:

> *Nos in Templa tuam Romana accepimus Iſim,*
> *Semicaneſque Deos, & ſiſtra moventia luctum.*

In hujuſmodi ſtultos homines Sedulius vehementius invehitur in Heroicis Paſchalis operis:

> *Quis furor eſt, quæ tanta animos dementia ludit,*
> *Ut volucrem, turpemque Jovem, torvumque Draconem,*
> *Semihominemque canem ſupplex homo pronus adoret.*

Anubim Huetius prop.4. non ſolum Moyſem facit, ſed etiam Calebum unum ex Terræ promiſſæ exploratoribus, Joſue ſocium; quia כלב Caleb canem ſignificat. Sequitur jam, ut circulum in Mercurii hujus Cynocephali, ſive Anubidis dextera conſi-

T. XLVII.



conſideremus. Si Plutarchum audias, nihil aliud eſt, niſi Horizon, ſive circulus, ut vocant, finitor. Hujuſmodi autem circulum propterea huic Deo ab Ægyptiis tribui ſolitum eſſe docet, quod ejus imperium a ſuperiori uſque ad inferius Hemiſpherium proferri crederent. Plutarchi verba ſunt hæc in lib. de Iſid. & Oſirid. *Hoc qui nonnihil ſtringit, vocaturque horizon, & finiens circulus, & amborum eſt communis, Anubis dicitur, canemque ſpecie exprimit, quippe utitur canis viſu juxta noctu & interdiu*. Veſtimentum, quo indutus Anubis hic eſt, neſcio an ſindonem recte vocem? *Tu*, inquit Lucianus in Concil. Deorum, *canino vultu Ægyptie, qui ſindone es amictus, quiſnam es ò optime, aut quomodo dignum te cenſes qui ſis Deus, cum latres?* Palmæ ramus, quem in ſiniſtra manu Cynocephalus tenet, ſive flagellum eſt, inquit pereruditus D. Rudolphinus Venuti, veluti efficax ad removendum faſcinum, & malum avverruncandum remedium in Collectan. Rom. Antiquit. Tab.28. ſententiamque hanc ſuam Pierii Valer. teſtimonio confirmat Hieroglyph. l.10. cap.2. Palma utique Ægyptiorum Diis convenire optime poteſt ea etiam de cauſa, quod, ut ait Plin. l.23. cap.1. *Palma, quæ fert Myrobalanum probatiſſima in Ægypto*. Quid autem globum illum in capite eſſe dicam? Niſi velimus peculiarem Regionis illius eſſe fructum, poſſumus eſſe Mundi figuram exiſtimare. Nephtin enim apud Ægyptios inferius Hemiſpherium eſſe docet Plutarchus, Iſim vero ſuperius, lucidum hoc, atque diurnum, obſcurum illud, atque nocturnum; utriuſque vero participem Anubim, qui & interdiu, & noctu viſu pariter fruatur. Vide Pier. Val. l.5: Horizon.

Aram

Aram appoſitam ſignum eſſe divinitatis, qua Ægyptii Cynocephalo Anubidi tribuunt facile unuſquiſque intelligit; Effigies Harpocratis in dextro baſis latere taciturnitatis eſt index, & ſilentii, quod fieri in hujus Dei ſacris debebat.

TABULA XLVII.

CANOPUS.

Canopus erat Ægypti Urbs cum inſula ad oſtium Nili, quod inde Canopicum dictum eſt; nunc autem *Bochir*, ſive *Bichieri*. Heracleoticum vocat Ptolom. Naucratium Plin. ab Alexandria duobus millibus paſſ. in ortum diſtat; quæ Urbs Claudiani Poetæ patria a quibuſdam eſſe fertur. Condita a Menelao fuit, qui devicta Troja eo vi ventorum cum Helena delatus eſt, & nominata a Canopo Amyclæo ejus gubernatore, qui ictu ſerpentis, quem Hæmorrhoida vocant, ibi interiit, & ſepultus eſt. Quomodo autem Canopus ipſe Deus haberi cæperit narrat Ruffinus Hiſt. Eccl. l.xi. cap.26., cujus verba Cauſeus, & alii recitant. Eorum hæc ſumma eſt. Chaldeis jactantibus, ignem Deum ſuum eſſe Deorum omnium aureorum, argenteorum, æreorum, & multo magis ligneorum victorem, Canopi Sacerdos hydriæ fictili aqua plenæ multis minutis foraminibus patulæ, ſed iiſdem cera obturatis caput ex antiquo Canopi ſimulacro exciſum ſuperpoſuit. Jam vero accenſo igne à Chaldeis circa hanc hydriam, cera confeſtim liqueſacta, & effluente undique aqua, ignis extinctus eſt. Ex illo tempore Canopus tam-

quam

Digitized by Google

quam Deus, & Deorum omnium victor eſt cultus, ejuſque ſimulacrum effingi cæpit, inquit Ruffinus apud Euſébium, pedibus perexiguis attracto collo, & quaſi ſugillato, ventre tumido in modum hydriæ cum dorſo æqualiter tereti formabatur. Hæc autem omnia cum hoc noſtro anaglypho apprime congruunt. Hic enim Sacerdos victorem Deum Canopum per vias, & fortaſſe ad templum deportat. Antecedit Sacerdos alius, qui, ut Virgilii verbis utar Æneid.8. *patrio vocat agmina ſiſtro*. Hoc inſtrumento Ægyptii loco tubæ utebantur. Puer item tibiis canens pompæ comes adjungitur. Sacerdos alius conſequitur ignem manu dextera præferens. Baculus, qui eſt in ejus ſiniſtra Haruſpicio uſui eſſe poteſt. Et hujus formæ T. uſurpatos ab Ægyptiis fuiſſe baculos, colligimus ex nonnullis monumentis æreis, atque fictilibus, quæ in Kirkeriano aſſervamus. Loti flos e Canopi capite eminet, quem florem pleriſque Ægyptiorum Numinum capitibus impoſitum eſſe videmus. Hanc, quam ſupra poſuimus de Canopo Ruffini narrationem Goropius Becanus, & alii eruditi viri tamquam omnino commentitiam rejiciunt. Sed cum Gregorius Lilius Gyraldus, Natalis Comes, Mythologique alii bene multi illam admittant, admittimus etiam nos; præſertim cum anaglypho huic, interpretationique noſtræ maxime conſentaneam deprehendamus.

TABULA XLVIII.

HARPOCRATES.

DEos in curribus inſidentes, vel ſtantes paſſim in Veterum monumentis aſpicimus. Hoc imperii ſymbolum eſt, quod in mortales babere Numina credebantur, ex quibus unum erat Harpocrates ab Ægyptiis inprimis cultus. Vide Pier. Valer. l.43. Sed quorſum tres illæ adultæ jam arundines? *Nilus*, inquit Diodor. Sicul. l.1. cap.1. *& multa generat, & ſuapte natura, quæ genuit, faciliime nutrit. Nam & arundinum radices præbet, & lotum.* Quod ad feras currum trahentes attinet, hoc tantum habeo ex Herodoto in Euterpe dicere: Urſos apud Ægyptios ſacros eſſe habitos. Quare nihil mirum eſt, ſi hujuſmodi feræ eorum, quos colebant Deorum, curribus jungerentur.

Supereſt dicendum de ipſo Harpocratis ſimulacro. Quod digitum dexteræ manus ori habeat admotum rationem hanc reddit S. Auguſtinus lib.4. de Civit. Dei cap.9. *Quoniam*, inquit, *templis ubi colebatur Oſiris, & Iſis, ſimulacrum erat* (Harpocratis) *quod digito labiis impreſſo admonere videretur, ut homines eos* (Iſidem, & Oſiridem) *fuiſſe tacerent.* Harpocratem hunc Plutarchus in lib. Iſidis & Oſiridis genitum fuiſſe ſcribit poſt interitum Oſiridis una cum Helitomeno, imbecillumque natum membris inferioribus. Alibi tamen idem auctor contendit, *non puerum fuiſſe imperfectum,*

neque



neque aliquod legaminum exiſtimandum, ſed Deum juvenilis adhuc imperfectæ, & inarticulatæ orationis præſidem, ac moderatorem: ex quo digito ori admoto ipſum effingebant, utpote ſilentii, & taciturnitatis ſymbolum. Enimvero puerilia omnino erant ſacra illa, quæ Deo huic puero fiebant in Urbe Ægypti Buto, quæque merito ridet S. Epiphanius lib.3. contra hæreſes. Ibi enim Sancti hujus etiam Epiſcopi temporibus Sacerdotes illum inſtar nutricum nutrire ſe ſimulabant. Ortus autem eſſe dicebatur a Plutarcho circa ſolſtitium hybernum, & brumam. Ei igitur Deo lentes, & primitiæ leguminum offerri ſolebant, quod cum facerent menſe Meſori ideſt Auguſto ita canere ſoliti erant Ægyptii γλῶσσα τύχη γλῶσσα δαίμων. hoc eſt: *lingua fortuna, lingua dæmon*. Perſea quoque arbor perpetuo dicata illi erat, quod ejus arboris frondes linguæ, fructus autem cordi ſit quam ſimillimus. Hæc ferè ex Gregor. Lil. Gyrald. Syntagm.1. Cornucopia Ægypti ubertatem ſignificat, loti flos ejus capiti impoſitus erat ornamentum Ægyptiorum fere omnium Deorum, quod etiam adnotat eruditiſſimus Ezechiel Spanemius diſſer.4. Tertullianus in Apologet. Herpocratem, Serapidem, & Iſidem eliminatos ex Italia fuiſſe narrat Coſſ. L. Piſone, & Gabinio. De Deo hoc mentionem faciunt Varro de L. L. Catullus, Artemidorus lib. Onocrit. Plinius, Caſſiodor. in Epiſt., & Claudianus, qui eum Sigaleonem appellat.

Aut tua Sigaleon Ægyptius oſcula ſignat.

Cauſeus in Muſeo Rom. Tab.33. ſect.2. profert Harpocratem alatum, cum Perſeæ pomo in capite cum Serpente, & noctua, nec non cane ad pedes. & alium non diſſimilem Tab.34. Harpocratem intra ædi-

ædiculam juvenili facie, vide Tab.30. in Collectaneis Romanar. Antiquit. Hermharpocratis vero ſimulacrum delineatum, & inciſum oſtendit Sponius Miſcell. erudit. Antiquit. ſect. 1. art. 5. Huic Sponiano Hermharpocrati ſunt alæ in pedibus, ut Mercurio. Cur autem digito ora comprimat ſic ille interpretatur; eloquentiam non ſemper verbis, ſed etiam ſilentio uti. Harpocrates Kirkerianos, & Capponianos longum eſſet enumerare, ac deſcribere omnes velle.

TABULA XLIX.

SOLEMNITAS.

PARATA *cœna nuptiali ex Etruſca diſciplina*, inquit Julius Scaliger Poet. l.3. cap.101. *porcum mactabant &c. Inde dicebatur Hymenæus cum choreis, ita ut unuſquiſque caneret, quoad Epiphonema ſubinferret: quo pronunciato univerſa chorea Hymenæum totidem numeris recinebat*; cujuſmodi putandum eſt eſſe illud Catulli Carm.62.

Hymen, o Hymenæe, Hymen ades o Hymenæe.

Interea, pergit idem Scaliger, *tot, quot diximus, cum facibus Patrimi, & Matrimi adſtabant*. Igitur in hac baſi marmorea, qui facem præfert, unus ex Patrimis, aut Matrimis adoleſcentibus fortaſſe eſt. Qui volumen legit, non abſurde unum ex cantoribus eſſe dicemus, qui nuptiale carmen concineret. Uterque ſane herbis, & floribus



bus eſt redimitus, quod in hujuſmodi pompa ſolemne fuiſſe declarant Statii verſus lib.1. ſilva 3.

Nunc opus Aonidum comites, tripodumque miniſtri
Diverſis certare modis, eat Enthea vittis,
Atque hederis redimita cohors.

Puerorum ſymphoniacorum, qui ad canendum adhiberentur, magnum numerum apud Romanos fuiſſe conſtat ex pluribus Ciceronis locis in Verrem: & in oratione pro T. Annio Milone, qui Lanuvio rediens, & Clodio ad Bovillas obviam factus, tum caſu pueros ſymphoniacos uxoris ducebat. De iſtis pueris vide Pignorium de Servis pag.145. Eorum numerus immodicus eſſe cœpit, ut teſtatur Ammianus Marcellinus xiv. *Paucæ domus*, inquit, *ſtudiorum ſeriis cultibus antea celebratæ, nunc ludibriis ignaviæ torrentes exundant... denique pro Philoſopho Cantor, & in locum Oratoris Doctor artium ludicrarum accitur. Et bibliothecis ſepulchrorum ritu in perpetuum clauſis organa fabricantur hydraulica, & lyræ ad ſpeciem carpentorum ingentes, tibiæque & hiſtrionici geſtus inſtrumenta non levia.* Itaque in volumine illo carmen nuptiale conſcriptum fuiſſe dixerim. Charta voluminum Pergamena plerumque erat ex membranis beſtiarum præſertim ovium a Pergamo Urbe Myſiæ ad Caicum fluvium ſic appellata, ubi inventa ab Eumene Rege eſſe fertur, cum Ptolemæus Rex Ægypti orta circa Bibliothecas æmulatione chartas ſupprimeret. Ita Plinius ex Varrone l.13. cap.11. Vide S.Hieron. in ep. ad Chromat. Exempla horum voluminum paſſim in æreis, marmoreiſque ſimulacris videmus.

TABULA L.
VER.

DE vere loquuntur Scriptores perinde, ac ſi de Pictore, aut Phrygione aliquo loquerentur. Sic apud Lucret. l. 5.

Et anni
Tempora pingebant viridantes
floribus herbas.

Et Manil. lib. 5. v. 259.

Et variis depingit prata figuris.

Infinitum eſſet afferre ſingulos. Unum ex Chriſtianis præterire nolo, Lactantium videlicet, cujus eſt hic verſus de Reſurrect. Domini.

Mollia purpureum pingunt violaria campum.

Nullus eſt Poeta qui non ſummis laudibus vernum tempus extollat præſertim Virg. lib. 2. Georg. ab illo verſiculo.

Vere novo gelidis liquitur cum montibus humor &c.

Ubi veroſimile affirmat, mundum fuiſſe conditum illo anni tempore, ſive ut melius dicam primum fuiſſe, illud & mundi & anni primi annorumque ſequentium tempus.

Non alios prima naſcentis origine mundi
Illuxiſſe dies, aliumve habuiſſe tenorem
Crediderim, Ver illud erat, ver magnus agebat
Orbis &c.

In quem locum Servius: *Ver*, inquit, *cum ſit trimeſtre, dividitur in tres portiones. Primus menſis tribuitur veri novo. Secundus adulto. Tertius præci-*



LA PRIMAVERA
In Baſe di Marmo

præcipiti. Merito igitur Ver, ſive potius Veris Genius juvenili ſpecie pingitur, quia initium anni affert; nudus item, levique palliolo ſolum contectus ob incaleſcentem jam aerem: cum planta florente roſarum, & quibus refertum habet calathum, & quibus ſeſe redimitum oſtentat: quia adulto ſaltem vere roſæ efflorefcunt. Ver adultum cum novo confundere viſus eſt Verres, eamque ob cauſam ſic illum Cic. Verrina 7. irridet: *Cum autem Ver eſſe cœperat, cujus initium iſte non a Favonio, neque ab aliquo aſtro notabat; ſed cum roſam viderat, tunc incipere Ver arbitrabatur, dabat ſe laboribus, atque itineribus, in quibus uſque eo ſe præbebat patientem, atque impigrum, ut nemo umquam in equo ſedentem viderit.* Ver ſacrum res dicebantur, quæ vere natæ, & Diis conſecratæ eſſent. Ver ſacrum facere erat vovere Diis, ſive conſecrare quæcumque vere proximo naſcerentur. Paul. apud Feſt. *Hoc votum primi omnium Sabini Marti nuncupaverunt, cum adverſus Umbros pugnaſſent.* Siſenna apud Non. c. 12. num. 18. Et Livius l. 34. c. 44. hæc habet. *Ver ſacrum factum erat priore anno.* Et infra: *Ver ſacrum videri pecus, quod natum eſſet inter Kal. Mart. & pridie kal Maji.* Idem l. 21, cap. 10. docet Veris ſacri nomine contineri, quod Ver attulerit ex Suillo, Ovillo, Caprino, Bovillo grege. In Muſeo Kirkeriano habemus urnam, in cujus facie puer eſt cum calatho roſarum pleno, & ex adverſum eſt alius cum calatho in quo ſunt poma. Secundum hunc Autumni eſſe Genium dixerim, cujus effigies in hoc Muſeo Odeſcalcho deſideratur. Veris ſacri, quod a Romanis vovebatur mentionem faciunt ſcriptores plurimi, quos inter Barnabas Briſſonius de formulis & ſolemnibus Populi Romani verbis l. 1. & alii plures.

TA-

TABULA LI.

ÆSTAS.

NON admodum difficile factu eſt, quid ſibi velit hæc effigies, interpretari. Etenim per ſpicas, falcem, & modium nihil aliud videtur, niſi Ætatis Genius deſcribi, niſi velimus hunc menſem eſſe Quinctilem, aut Julium exiſtimare, ut Pierius Valerianus exiſtimat, l. 56. ſpica v. meſſis. In Sepulcro Naſonum Æſtas Nymphæ cujuſdam venuſtæ habet ſpeciem una cum Paſtore ſaltantis. Paſtor vero ipſe ſpicis coronatus Nymphæ blandienti plenum æſtivis pomis caniſtrum offert. Alio inſuper modo Æſtatem veteres depinxerunt; tamquam videlicet Nympham venuſtam, atque formoſam corona ſpicea redimitam fluentibus per humeros crinibus dextra geſtantem cornucopiæ maturis ſegetibus redundans, cum ſegetum aliarum faſciculo ad pedes, pueroque ſedente, qui utraque ei manu ſpicas offert. Hæc ex Berthaldo de Arca c.3. Quod ad Modium attinet, eo tamquam ſigno aliquo uſi ſunt Chriſtiani quoque illi veteres, ut apparet in marmore, quod in Kirkeriano aſſervamus. Ibi enim Modius hujuſmodi eſt inſculptus ſpicarum refertus: Modium autem illum Paſtor pellicea veſte indutus indigitat cum inſcriptione.

MAXIMINVS AMICVS OMNIVM.

TA-



In Base di Marmo



In Base di Marmo

TABULA LII.

HYEMS.

SIcut in ſuperioribus duabus marmoreis baſibus Veris, & Æſtatis imagines inſculptæ ſunt, ita in hac tertia dubitari non poteſt, quin Hyemis Genium effingere artifex fortaſſe omnino idem voluerit. Nudi plerumque pinguntur Genii. Quare hoc incommodo, quamvis imbres ſint maximi, ac tempeſtas perfrigida, Hyemis etiam Genius afficiatur neceſſe eſt. Quamquam & bene capillatus, & ampliori amiculo tectus aliquod ſibi ad magnitudinem frigoris remedium comparat. Palmæ ramus ideo in ejus læva manu ponitur, quia *palma*, ut ſcriptum reliquit Plinius lib. 13. cap. 4. *gaudet & riguis, toto anno bibere cum amet, anno ſitienti*. Bibendi autem amorem hunc non alio melius poteſt, quam hiberno tempore explere. Anſeres gemini, quos habet in dextera cum Hyeme bene congruunt. *Gignunt*, enim *eos alpes & ſeptentrionalis regio*. Plin. lib. 10. cap-21. *Plumæque iis velluntur quibuſdam in locis bis anno*. Optima contra frigus præſidia. In opere quod inſcribitur. *Delle Pitture antiche del ſepolcro de Naſoni*. Tab. 25. Hibernum Tempus Senis barbati ſimilitudine formatum eſt, cui talaris tunica caput ipſum conveſtiat, Senex autem ille altera manu paluſtrem arundinem, altera Anſerem pedibus conſtrictum tenet, exiguoque interjecto ſpatio, Nympha viſitur neſcio quæ tunicata quoque ipſa, & utraque manu aliam ejuſdem

dem generis avem contrectans, ac fovens, quæ pariter omnia optime frigus, & frigidum anni tempus deſignant.

TABULA LIII.

TAURUS COELESTIS.

TAURUM hunc ob ſtellam, quæ in dextero ejus latere emicat, Cœleſtis eſſe ſignum conjicimus.

Fabulantur Poetæ, hunc eſſe Taurum illum, ſub quo deliteſcens Jupiter Europam Agenoris filiam rapuit, in Cœlo deinde a Jove ipſo honoris cauſa collocatum. Huc Spectavit Ovidius lib.4. Faſt: cum de eo loquens ſic cecinit?

Seu tamen eſt Taurus, ſive hoc eſt fœmina ſignum,
Junone invita munus amoris habet

In Tauri ſignum ingreditur Sol menſe Aprili unde anni initium Virgilius videtur capere lib.1. Georg.

Candidus auratis aperit cum cornibus annum.

Sub eo ſigno Aſiam, Arabiam, & Scythiam Manilius collocat Aſtronom. lib.4.

Taurus habet Scythiæ montes, Aſiamque potentem,
Et molles Arabes ſylvarum ditia regna.

Vide plura de eo apud Hyg. l.2. Plin. lib.1. cap.16. & 42. & lib.18. cap.28.

FINIS.

INDEX



Digitized by Google

INDEX SCRIPTORUM,

Quorum loca, & opiniones in hoc Opere afferuntur.

A

R. **A**benezra.
R. Abrabane.
Abrahamus Gaslaus.
Abrahamus.
Achilles Statius.
Acron.
Cl. Aelianus.
Alexander ab Alexandro.
Alexander Donatus.
Alphonſus d'Ovagle.
Alphonſus Tiſtatus.
Andreas Alciati.
Andreas Chocbius.
Andreas Falvius.
Andreas Tiraquellus.
Angelus Politianus.
Anſelmus Boetius de Boot
Antonius Auguſtinus.
Antonius Franciſcus Gori.
Apollodorus.
L. Apulejus.
Arati Interpret.
Arnobius.
Ariſtophanes.
Ariſtophanis Scholiaſtes.
Ariſtoteles.
Aſconius Pedianus.
Athanaſius Kircher.
Athenaeus.
Auctor Priapejorum.
Auctor de Viris Illuſtribus.
(S.) Auguſtinus.
Auguſtinus Niphus.
Aulus Gellius.
Auſonius.

B

Bartholomeus Marlianus.
Baſilius Faber.
(Ven.) Beda.
Benedictus Ceruti.
Benedictus Pererius.
Bernardus de Montfaucon.

C

Caeſar (Card.) Baronius.
Callimachus.
Camillus Leonardus.
Carolus Paſchalius.
Carolus Patinus.
Carolus Stephanus.
Caſſiodorus.
Catullus.
Celſus Cittadini.
M.T. Cicero.
Claudianus.
Claudius Bortaldus.
Claudius Minois.
Claudius Salmaſius.
Conradus Geſnerus.
Cosimus Rhodiginus.
Cornelius Celſus.
Cornelius a Lapide.
Cornelius Nepos.

D

Daniel Haetius.
Diodorus Siculus.
Diogenes Laertius.
Dion Caſſius.
Dionyſius Halicarnaſſeus.
Dionyſius Lambinus.

E

Eduardus de Vitry.
Epigrammatum Graecorum Anthologia.
S. Epiphanius.
Euripides.
Euſebius.
Ezechiel Spanemius.

F

Feſtus.
Flavius Blondus.
Fortunatus Scacchi.
Fortunius Licetus.
Franciſcus de Ficoronio.
Franciſcus Hothomannus.
Franciſcus Modiſcharbus.
Franciſcus Redius.
Fulgentius.
Fulvius Urſini.

G

Galenus.
Georgius Longus.
Georgius Vaſarius.
Geroplus Beranus.
Gregorius Tholoſanus.

H

Hadrianus Turnebus.
Hannibal Olivieri.
Heliodorus.
Henricus Hornmannus.
Henardus Reuſch.
Herodotus.
Heſiodus.
Hyacintus Gimma.
S. Hieronymus.
—— Aleandri.
—— Cardanus.
—— Magius.
—— Mercurialis.
—— Prado.
Homerus.
Q. Horatius Flaccus.
Horus Apollo.

I

Jacobus Bleus.
Jacobus Gutherius.
—— Sponius.
Janus Gruterus.
Joannes Baptiſta Porta.
—— Bottari.
—— Calvinus.
—— Cameri.
S. Joannes Chryſoſtomus.
Joannes Franciſcus Baldini.
Joannes Henricus Meibomius.
Joannes Gronovius.
—— Jonſtonus.
—— Kirkmannus.
Joannes Meurſius.
March. Joannes Petrus Lucatellus.
Joannes Vaillant.
Joſeph Hohtaus.
Joſeph Vulpius.
Iſacus Caſaubonus.
S. Iſidorus.
C. Julius Caeſar.
Julius Caeſar Scaliger.

Julius

Julius Capitolinus.
— Obſequens.
— Pollux.
Juſtinus.
Juſtus Lipſius.
Juſtus Ryquius.

L

Laurentius Hemlanus.
Lampridius.
Lælius Peranius.
Laurentius Pignorius.
Lazarus Bayfius.
Leander Albertus.
Leonardus Auguſtinus.
Leonardus Schifferus.
Lilius Gregorius Giraldus.
T. Livius.
Lucanus.
Lucianus.
Lucius Flores.
T. Lucretius.
Ludovicus de Alcazar.
Ludovicus Begerius.
— Creſolius.
— Vives.

M

Macrobius.
Marcellus Paſſeri.
Marcus Antonius Muretus.
Marcus Antonius Cato.
C. V. Martialis.
Martianus Capella.
Martinus ab Erbemayer.
Martinus del Rio.
Mabel Angelus Canſeus.
Muſeum Capitolinum.
Muſeum Cortonenſe.

N

Natalis Comes.

O

Octavius Ferrari.
Orpheus.
P. Ovidius Naſo.

P

Auſonius.
Petrus Faber.
Petrus Franciſcus Foggiol.
Petrus Placidus Lactantius.
Philippus (Senator) Buonarotti.
Philoſtratus.
Pierius Valerianus.
Plautus.
Plinius.
Plutarchus.
Polybius.
Pomponius Letus.
Pomponius Mela.
Prudentius.
Publius Victor.

Q

Quintilianus.

R

Raphael Bronus.
Raphael Fabretus.
Raphael Volaterranus.
Rudolphinus Venuti.
Ruffinus.

S

R. Salomon.
Sanctus Lancellottus.
Seneca Philoſophus.
Seneca Tragicus.
Servius Honoratus Maurus.
Sidonius.
Silius Italicus.
Sophocles.
Solinus.
Spartianus.
C. Suetonius Tranquillus.
Suidas.
Statius.
Strabo.
Symmachus.

T

C. Tacitus.
Teſtamentum Novum.
Teſtamentum Vetus.
Tertullianus.
Theocritus.
Theodoretus.
Theophilus.
Thucydides.
Tibullus.
Trebellius Pollio.

V

Valerius Maximus.
Varro.
Vellejus Paterculus.
Villelmus Choul.
Sex. Aurel. Victor.
P. Virgilius Maro.
Ulyſſes Aldrovandi.

X

Xenophon.

INDEX

INDEX RERUM

TOMI I.

A

Achates gemma unde ſic appellata? Pag. x.
Achates, in quo novem Muſæ, & Apollo. xxiv.
Achatis genera plura. xi.
In Adamante ſculpturæ plures. xxv.
Agrippinæ Germanici cineres Romam tranſlati. 39.
Agrippinæ Germanici Epitaphium. 39.
Agrippinæ Germanici faces in nummis. 39.
Agrippina Germanici in Inſulam Pandatariam relegata. 38.
Agrippinæ Germanici mores, Dacis munus ab ea obitum. 38.
Agrippina Piſonem judicio perſequitur. 38.
In Alexandri M. Ægide Gorgonis caput. 20.
Alexandri M. Corporis forma. 19.
In Alexandri M. Galea Serpens, & Jovis Hammonis caput. 19.
Alexandri M. & Macedonum barba plerumque raſa. 20.
Alexandri M. tempore Pyrgoteles ſcalptor celeberrimus. 20.
Amethyſti deſcriptio. xi.
Amethyſti virtutes fabuloſæ. xi.
Amethyſtus vetus eadem, ac hodierna. xi.
Amethyſtinæ columellæ. xi.
Antinopolis urbi ab Antinoi nomine ſic appellata. 43.
Antinoi conſecratio. 43.
Antinoi effigies in nummis. 43.
Antinoo Templa extructa, & Ludi celebrati. 42.
Antinous cultus tamquam Sol, Mercurius, & Bacchus. 42.
Antinous ſe devovet pro Hadriano Imperatore. 42.
Annuli aurei, & gemmati Senatorum, & Equitum Romanorum inſigne. xxxvi.
Annuli Signatorii Joſephi, Cyri, Arii, Lacedemonii, Polemæi, Seleuci, Ariſtomenis &c. xxxv.
Annulus uſurpatus a Sophiſtis, Rhetoribus, Oratoribus, & Muſicis ornamenti cauſa. xxxvi., & xxxvii.
Apollo intonſus, crinitus, imberbis, alæ in ejus capite, & Luna ſub mento. 3.
Apollinis plures. 2.
In Apollinis capite radii duodecim. 3.
Aqua Marina eadem, ac Beryllus. iv.
Aſtarthe Cœli Regina appellata. 4.
Aſtarthe eadem, ac Juno. 4.
Aſtarthe eadem ac Luna, Iſis, & una ex Veneribus. 4.
Aſtarthes ſuper mento Luna falcata. 4.
Atalantæ duæ. 14.
Atalanta victa in curſu ab Hippomene. 13.
Aventinus Leonina pelle indutus. 8.
M. Aurelii Corporis forma. 44.
M. Aurelii mores, ſtudia, res geſtæ, atque obitus. 43.
M. Aurelii Parentes, Imperium, imperiique conſortium cum L. Vero. 43.
M. Aurelius Severus Alexander a Conſobrino Elagabalo adoptatus. 43.
M. Aur. Severi Alexandri victoriæ, & mors. 47.
In Aur. Severi Alexandri pectore Ægis. 47.

B

Bacchæ Mimallones appellatæ. Pag. 16.
Baccharum veſtitus, atque habitus. 17.

I 2 L. Ju-

L. Junii Bruti effigies in Capitolio. 28.
L. Junii Bruti effigies in nummis. 28.
L. Junii Bruti mors ad Lacum Regillum. 27.
L. Junius Brutus Romanæ Libertatis aſſertor. 27.
Bruti ſeveritas in filios. 27.
L. Brutus, & Servilius Ahala in denarii. 28.

C

CAlais. xi.
Camei in Muſeo Kirkeriano rariores. xxxviii.
Camei pro fibulis adhibiti. xxxvii., & xxxviii.
Cameus quid, ejuſque etymon. xxvi.
Carnoculus. xi.
Chalcedonius Jaſpidis genus. xii.
Chalcedonius non idem, ac Charchedonius. xii.
Chriſtianorum annuli Signatorii. xxxv
Chriſtianorum annuli Signatorii cum Chriſti Domini monogrammate in Sanctorum Martyrum Cryptis inventi. xxxv.
Chriſtianorum annuli Signatorii in Muſeo Kirkeriano. xxxvi.
Chriſtianorum gemmæ in Muſeo Kirkeriano. xxxvi.
Ciceronis forma, & habitus corporis. 35.
M. T. Ciceronis genus, honores, & res ab eo geſtæ. 34.
Claudii Portus Oſtienſis. 59.
Claudii obitus. 59.
Claudius vetat gemmis ſignare. xxxiv.
Claudii ingenium, ſtudia, & mores. 57.
Claudii Aquæductus. 58.
Cleopatra ab Auguſto devicta aſpidis morſu ſeipſam interimit. 22.
Cleopatræ imago per orbem a Cæſare Auguſto circumlata in triumpho. 23.
Cleopatræ plures. 22.
De Cleopatræ morte opiniones variæ. 23.
Cleopatra ultima Cæſari Cæſarionem peperit. 21.
Corneolæ etymon. xii.
Corneola an eadem, ac Sarda? xii.
Conſtantini effigies cum inauribus. 48.
Conſtantini Magni imperium victoriæ, res geſtæ aliæ. 48.
In Conſtantini M. pectore Chriſti Domini monogramma. 49.
Criſpina Commodo nupta. 44.
Criſpina a Commodo in Inſulam Capream relegata, & juſſu ejuſdem necata. 44.
Cryſtalli generatio. xiii.
Cryſtallinæ Protomæ, Tali, aliaque. xiii.
Cyanei genera varia. xxiii.

D

DEcalvati Fœminis ignominioſum. 53.
Demetrii Poliorcetæ res geſtæ, atque mors. 21.
In Demetrii Capite roſa, 21.
Deorum nomina ex Ægypto in Græciam tranſlata. 7.
Diſcus Luſorius. 9.

F

FAſcinus Deus. xxxviii.

G

GAleæ ex animalium pellibus. 17.
Gemmæ factitiæ, & earum venditor ridicule punitus. xxii.
Gemmæ in Calceamentis Antonini Elagabali. xxxviii.
Gemmæ pro Amuletis. xxxviii.
In Gemmis effigies inſculpendi ars inventa, & reſtituta. xxvi.
Gemmis inciſæ litteræ, & nomina præcipue artificum ipſorum, qui inciderunt. xxviii. & ſeq.
Gemmis litteræ antiquitus inſculptæ. xxiv.
Gemmarum nomina plura alia nunc ab antiquis. ix.

Gem-

Gemmarum uſus in annulis ad obſignandum apud Romanos. xxxiii.
Gorgones tres, earum etymon; formæ &c. 12.
Gorgonum in gemmis virtus fabuloſa. 12.
Granate appellatio, & cui Veterum Gemmæ Granatum reſpondeat. xiii.

H

HAdriani Patris, & ejus cum Trajano cognatio. 41.
Hadriani mores, ſtudia, res geſtæ, atque obitus. 45.
Hæmathites duplicis generis. x.
Heliotropium, & de eo fabuloſa nullia. xiv.
Helenus Priami, & Hecubæ filius, Patriæ proditor. 18.
Helenus a Pyrrho Epirotarum Rege regni parte donatus. 18.
Hercules Jolæ muliebribus veſtimentis indutus. 14.
Hercules Omphales pediſſequa. 14.
Hippias annuli ſui artifex. xxxvi.
Hyacinthi gemmæ nulla mentio, neque in Exodo, neque in Apocalypſi. xiv.
Hyacinthus quibuſdam eadem, ac Lygurius, ſive Lyncurius Gemma nunc longe alia, ac olim fuit. xv.
Hyacinthus imprudenter ab Apolline interfectus. 9.
Hyacinthi arcus, ſagittæ, diadema. 9.

I

JAſpidis genera varia, duritiea, color, & nomina plura ex admixtione cum aliorum lapillorum materia. xvi.
Jaſpis Sinenſis. xvi.
Ex Jaſpide arte facta plura. xvi.
Jole Leonina Herculis pelle induta. 14.
Jole utrum eadem, atque Omphale? 15.
Iſidis Averruncæ capita tria, Proboſcis, Caducei. 7.
C. Julii Cæſaris inſignia. 32.
Julii Cæſaris forma, & ſtatura corporis. 32.

L

LApislazzulus utrum idem ac veterum Sapphirus. xvi.
Larvæ ſcenicæ pleramque horribiles, & monſtroſæ. 51.
Latona in Coturnicem converſa. 50.
Lituus quid. 32.
Livia an eadem, ac Julia. 36.
Liviæ adhuc juvenis effigies in nummis. 36.
Liviam Druſillam Auguſtus abducit. 35.
Lupa una cum infantibus Romulo, & Remo incisa in Adamante. xxv.

M

MÆnades Bacchi Sociæ in Indica expeditione. 16.
Mænades hederæ coronatæ. 16.
C. Marii Statua in Muſeo Capitolino. 54.
C. Marii Protome in Ædibus Barberinis. 54.
C. Marii Vita, & res geſtæ. 55.
A C. Marii nomine Oppida, & Villæ appellatæ. 56.
C. Marii res geſtæ. 31.
C. Mario inſcriptio poſita. 31.
Marſyas Apollinem provocare auſus, & ab eo ſupplicio affectus. 10.
Marſyas fluvius a Marſyæ Satyri nomine. 10.
Matronarum torques, & armillæ ex Cameis. xxxvii.
Meduſa cum Minerva de formæ pulchritudine contendere auſa. 11.
Meduſæ caput obtruncatum a Perſeo. 11.
Meduſæ coma in Serpentes converſa. 11.
Ex Meduſæ ſanguine Pegaſus, & Serpentes. 11.
Mulierum in capite ornatus apud Romanos varii. 51.

Nic-

N

Niccoli, ſive Onyculi conſideratio. xvii.
Nomina filiorum Iſrael inſculpta in duobus Onychiis, & in duodecim gemmis Rationalis. xxiv.
Numonius Vala quis fuerit, & quo tempore vixerit. 29.
Numonii effigies in nummis. 29.

O

OLympiadis Alexandri Matris jactantia. 19.
Omphale Herculis armis ornata. 15.
Onyches, & Achatis diſcrimen. x.

P

PEntheus a Mænadibus diſcerptus. 17.
Plaſma, ſive Praſma quid, & unde dictum. xxi.
Poculum ex Granato in Muſeo Kirkeriano. xiii.
Ptolemæus Auletæ Regis filius Cn. Pompeii proditor. 4.
Ptolemæorum fratrum in nummis diſtinguendorum ratio. 2x.
Puellarum in Olympiis ludis curſus, atque certamen. 13.

R

ROma tamquam Dea habita. 24.
Romæ nomen aliud vel ignotum vel pauciſſimis cognitum. 24.
Roma Aſcanii filia Fidei templum conſecrat in Palatio. 25.
Roma Urbs ab Ænea ædificata. 25.
Roma fœmina quædam Trojana in Italiam una cum Trojanis advecta. 25.
Romæ Galea ex Icneumonis pelle. 26.
Romæ habitus, & inſignia. 26.
In Romæ imagine Crocodilus, & Palmæ ramus. 26.
Romæ Lorica ex Crocodili cute. 27.
Rubinus Latinis Carbunculus, mas & fœmina, & de eo fabuloſa quædam. xvii.

S

SArdonychis etymon, color, & ex eo vaſcula elaborata. xix., & xx.
Satyri an vere extiterint? 17.
Satyri Bacchi Socii. 18.
Satyri utrum iidem, ac Sileni? 18.
Satyrorum indumentum. 18.
Scipionis Africani res geſtæ. 30.
Scipionis forma, & ſtatura corporis. 30.
Septimii Severi genus, Imperium victoriæ, atque obitus. 45.
L. Septimii Severi liberorum effigies in nummis. 46.
Servilius Ahala Sp. Mellii Magiſtri equitum interfector. 28.
Signa varia in Romanorum gemmis annularibus ad obſignandum inciſa. xxxiii.
Sileno & Baccho Templa multa communia. 51.
Smaragdorum genera plura, generatio, magnitudo, & ex iis artefacta. xxi.
Scriboniam Auguſtus repudiat. 35.
Ser. Sulpicii Galbæ ortus, mores Conſulatus, Imperium, ſtatura, & mors. 40.
Sulpiciorum familia. 40.

T

THiaræ deſcriptio. 19.
Tiberius Livia Druſilla natus. 36.
Tiberius a Vitrico Auguſto adoptatus. 37.
Tiberii ingenium forma corporis, mores, & mors. 37.
Tecrhoidis generatio, magnitudo &c. xxiii.

V

VEnus Apoſtrophia. 60.
Venus Cœleſtis. 60.

INDEX

INDEX RERUM

TOMI II.

A

ABraxas nominis litteræ anni curſus dierum menſuram complent. 74.
Abraxas nomen Soli impoſitum ab Ægyptiis. 73.
Ædilitatis Symbolum. 9.
Æſculapii baculus. 24.
Æſculapii comes Theleſphorus. 26.
Æſculapii plures. 20.
Æſculapii templum in inſula Tyberina. 25.
Æſculapii tres. 24.
Æſculapio & Hygiæ unum idemque templum dicatum. 23.
Æſculapio Epidaurio barbam Dionyſius Tyrannus demi jubet. 23.
Æſculapio Gallus Sacer. 25.
Æſculapius etiam imberbis. 23.
Æſculapius in Deorum numerum relatus. 25.
Æſculapius in nummis M. Aurelii Antonini. 23.
Æſculapius Serpentis ſpecie Epidauro in Inſulam Tiberinam advectus. 25.
Amores duo. 22.
Angelorum nomina in Baſilidianorum Amuletis. 75.
Anſeres Hyemis Symbolum. 121.
Anubis canina facie. 109.
Anubidis in capite globus. 111.
Anubidi in manu Horizon. 110.
Anubidis in manu palmæ ramus. 110.
Anubis Oſiridis, & Iſidis corporum cuſtos. 109.
Anubidis Sacra Romam translata. 110.
Anubis utrum idem, atque Calebus. 110.
Apidis Argivorum Regis in Ægyptum adventus. 100.
Apidis Argivorum Regis parentes, & ejus nuptiæ cum Iſide. 100.
Apidis bovis conceptus, & cuſtodia. 100.
Apidis hiſtoria, & fabula, & ſuperſtitio. 90.
Apim Bovem Ochus Perſarum Rex interficit, & Aſinum conſecrat. 100.
Apis Ægyptiorum Rex. 101.
Apis quomodo Serapis evaſerit. 80.
Apollines quatuor. 2.
Apollo Pythonis interfector. 2.
Apollo Vates, Citharœdus, Sagittarius. 2.
Arbores peculiares peculiaribus Numinibus dicatæ. 77.
Areopagus vicus Athenarum. 8.
Aurora Cephalum rapit. 29.
Auroræ parentes. 30.

B

BAcchi Sacerdotum Crocota veſtis pompæ. 39.
Bacchi vas aureum, ſeu Cantharus, & Thyrſus. 39.
Bacchus aliquando barbatus, & ſenex. 39.
Bacchus plerumque juvenis, & imberbis. 38.
Baculus Ægyptius forma T. 113.
Baſilidianorum ſuperſtitio. 72.
Baſilidis Hæretici deliria. 74.
Bellatoris egregii ſignum. 49.
Biga honoris ſignum. 65.
Bigæ cum parte Circi in urna marmorea inſculptæ. 64.
Bigæ in ludis Circenſibus. 63.
Bigario infanti inſcriptio poſita. 65.
Bigarum inventores quinam. 63.
Bigarum ſignificatio. 64.
ca Bigis Heroes decertantes. 63.
Biremis duplex ſignificatio. 60.
Biremis, ſive navis duorum remorum ordinibus inſtructæ exempla nonnulla in monumentis, æreis, atque marmoreis. 61.

C

CAnopi Urbis Ægyptiæ nomina varia. 112.
in Canopi capite Loti flos. 113.
Canopus Urbs a Menelao condita, & a Canopo Menelai Gubernatore cognominata. 112.
Canopus quomodo Deus haberi cœptus? 112.
Caſtoris, & Pollucis ope victoria ab A. Poſthumio dictatore reportata. 72.
Cato Grammaticus Latina Siren. 108.
Centauri mares, & fœminæ Bacchi curru juncti. 58.
Centauri duo in ædibus Illuſtriſſimi Præſulis Alexandri Furietti. 57.
Centauri currui Bacchi juncti. 57.
Centaurorum hiſtoria, & fabula. 58.
Cephalenia Inſula a Cephalo nomine cognominata. 30.
in Cephalenia quintam C. Antonius urbem condit. 30.
Cerealia, & Ludi Cereales Romæ. 15.
Cereri porca immolari ſolita. 12.
Cereri Sacræ Virgines Canephoræ. 13.
Cereris effigies cum formicis. 14.
Ceres dicta a creando, vel a Geres h. e. a gerendis fructibus. 12.
Ceres papaveris inventrix. 14.
Ceres Phyſalo ficus commonſtrat. 12.
Ceres ſumma religione ab Siculis culta. 15.
Ceres Ennenſis in Sicilia. 15.
Chiron Centaurus Achillis educator. 56.
Chiron ad Thetidis, & Pelei nuptias profectus. 57.
de Chironis Centauri morte ob ſagittam Hydriæ veneno imbutam opiniones variæ. 58.
Ciſtæ myſticæ, aurei pinei, rumenæ, atque pomi in unaquaque aræ marmoreæ Iſiacæ ſarie. 101.
Cleopatræ ſpes inter ſiros illata. 46.
de Cleopatræ morte opiniones variæ. 47.
Clypei Phrygii forma. 50.
Clypeus & haſta ſignum virtutis militaris. 45.
Conſtantiæ Symbolum Columna. 22.
Crocote veſtis muliebris. 41.
Cupidines plures. 17.
Cupidinis alæ quid ſignificent. 18.
Cupidinis arma. 15.
Cupidinis faces. 18.
Cupidinis poteſtas in Venerem ipſam. 15.
Cupido cum face inverſa. 18.
Cupido non ſemper alatus. 17.
Cygni Apollini dicati. 97.
Cygnorum cantus ſub vitæ finem fabuloſus. 97.
Cynocephali animalia. 110.

D

D. M. etiam in Chriſtianis inſcriptionibus. 52.

E

EPirotarum Regum ſucceſſio. 44.
Equitatio Antiquorum ſine Ephippio, atque Scapedis. 51.

G

GAlli facier & criſtæ apud Ægyptios Solis ſymbolum. 73.
Gallinam albam Aquila in Liviæ gremium demittit. 22.
Gladiatores Secutores. 55.
Gladiatoris Ludoviſiani Statua in Capitolio. 55.
Gladiatorum claſſes variæ. 54.
Gratiæ ab aliquibus ponuntur quatuor, ab aliis una. 31.
Gratiæ ſorores, & virgines. 32.
Gratiæ Veneris comites. 32.
Gratiarum duæ ad nos converſæ, una averſa. 32.
Gryphes Apollini Sacri. 21.
Gryphes metallorum raptores. 20.
Gryphum fabula, & hiſtoria. 20.

H

HArpocrati Sacra in Ægypti Urbe Buto fieri ſolita. 115.
Harpocratis, immo & Serapidis, & Iſidis Religio Romæ aliquando proſcripta. 115.
Harpocratis ſimulacrum. 114.
Haſtæ inverſa cuſpide ſignificatio. 45.
Hectoris Aſtyanax puer plaudens. 49.
Hercules Leonem Nemeæum proſternit. 26.

Her-

Hercules Taurum Cretæ vaſtatorem interficit. 28.
Hermharpocratis ſimulacrum. 116.
Hygiæ ſimulacra. 49.

I

Jovis Barba herba quædam dicta. 79.
Jovis caput velatum. 78.
Iſiaca anaglypha formæ ingeniculatæ in ara marmorea. 101.
Iſiaca ſymbola. 105.
Iſiacæ ſtatuæ ingeniculatæ. 101.
Ibides aves Lunæ Sacræ. 102.
Iſidi Tabella votiva. 102.
Iſidis eloquentia. 108.
Iſidis Regio in Urbe. 106.
Iſidis Templa Romæ. 105.
Iſis Leges Ægyptiis fert. 108.
Jugis ſeptem, ac decem Nero aliquando aurigat. 63.
Juppiter Hiceſius in Lucerna fictili. 78.
Juppiter Hiceſius, & Milichius. 77.

L

Lampſacus Urbs ab Xerſe Themiſtocli dono data. 84.
Leo Nemeus in Cœlum translatus. 26.
Leo quarum rerum Hieroglyphicum, aut Symbolum? 68.
Leonis effigies in Clypeo Agamemnonis. 68.
Leonis Macherophori effigies in annulo Pompeij magni. 69.
Leonis Nemeæ pellis Herculis armatura. 27.
Loti flos in capite Numinum Ægyptiorum. 115.
Lucernæ duodecim Apoſtolorum capita exprimentes, nec non Chriſti monogramma in Muſeo Kirkeriano. 96.
Lucernæ perpetuæ, ſive eternæ. 95.
Lucernæ rariores in Muſeo Kirkeriano. 95.
de Lucernis veterum Scriptores præcipui. 95.

M

Mala aurea tria a Venere Hippomeni dono data. 83.
M. Antonius Cleopatræ amore capitur: ejus equeſtres exercitationes in Ægypto. 51.
Mars Phylactrides, ſive Præſidiarius. 9.
Marſyæ Satyri hiſtoria, & fabula. 4.
Marſyæ imagine obſignat epiſtolas Nero. 4.
Martis etymon. 8.
Milichius Juppiter. 77.
Milichii appellati Dii alii. 78.
Minerva Cuſtos a Cicerone culta. 37
Minervæ etymon. 37.
Minervæ quinque. 37.
Minerva Sapientiæ Dea. 38.

N

Nebrii paſtoritium veſtimenti genus. 57.
Neptuni veſtitu atque habitu Cn. Pompeii effigies. 11.
Neptunus aliquando cum Hippocampis, aliquando etiam cum equis. 11.
Neptunus Claſſis Præfectus a Saturno conſtituitur. 10.
Neptunus equos domandi artis inventor. 10.
Neptunus navigandi artis auctor. 10.
Nuptiarum ritus. 116.

O

Oleaſtrum Hercules primus ex Hyperboreis in Elidem deportat. 27.

P

Paci ara Athenis dicata. 35.
Pacis aræ. 34.
Pacis effigies variæ. 34.
Pacis Templum Romæ an ægroti frequentaverint? 35.
Pax vultus velum obtendit. 33.
Palladi immolabatur Vacca. 36.
Palladis effigies antiqua muſivo opere elaborata in pavimento Tuſculani Collegii Romani. 36.
Palladis Galeæ forma varia. 36.
Pomum in manu Veneris ſignum victoriæ ab ea reportatæ. 83.
In Priapi capite Calathus. 86.
Priapi parentes. 84.
Priapi ſimolacra in hortis. 85.
Priapo Aſinus ſacrificabatur, & primitiæ fructuum offerebatur. 86.

Pria-

Priapus coltus ab Iſraelitis. 85.
Priapus Helleſpontacus, Lampſacenus, & Orneates appellatus. 84.
Priapus idem, atque Horus, Pan, Beelphegor. 84.
Priapus modo Juvenis, modo ſenex effictus, 85.
Pyrrhi Protome in hortis Vaticanis. 45.
Pyrrhi ſimulacrum in Capitolio. 45.
Pyrrhus Tarentinorum contra Romanos auxiliator. 44.
Pythagoræorum ſententia de orbe Lunæ. 29.

Q

QUadrigæ in faſtigio Templi Jovis Capitolini. 67.
Quadrigæ in Ludis. 67.
Quadrigarum ſupplicium. 68.
Quadrigis triumphantes vecti. 67.

R

REmorum ordines quot aliquando fuerint. 62.
Remorum quinquaginta ordinum navem ædificandam curavit Ptolemæus Philopator. 62.

S

SElla utrum Symbolum Æternitatis? 13.
Securitatis Symbolum. 9.
Serapis ab Athenienſibus, & Thracibus coltus. 81.
Serapidis effigiem Ptolemæus Lagides a Sinopenſium Rege impetrat. 81.
Serapidis, & Iſidis Templa conjuncta. 81.
Serapidis, & Iſidis Nomina ab Urbe aliquando pulſa. 83.
Serapis idem ac Pluto, Oſiris, Dionyſius, Hammon, Juppiter, Nilus, & Joſeph. 80.
Serapidis Templum in Capitolio. 81.
Serapidis Templum in Urbe Canopo. 81.
Serpens apud Ægyptios immortalitatis, & divinæ naturæ Symbolum. 71.
Serpens bonum omen Romanis. 71.
Serpens argenteus in ſacra Iſidis pompa. 108.
Serpens in Hygiæ Deæ manibus. 48.
Sex. Pompejus Neptunum ſe appellat, & Neptuni videri vult. 11.
Silvani cultores antiquiſſimi Pelaſgi. 88.
Silvani in manu cupreſſus. 83.
Silvano inſcriptiones poſitæ. 78.
Silvani parentes. 88.
Silvani prodigium. 88.
Silvanus lacte piabatur, & porco. 87.
Silvanus pueris, & puerperis infeſtus. 90.
Silvanus utrum idem, ac Pan? 88.
Siren utrum monſtrum marinum in piſcem deſinens? 104.
Siren in nummis Familiæ Valeriæ. 70.
Socratis mores, ſtudia, virtutes. 42.
Socrates reus, & capite damnatus. 43.
Socratis viſum inſomnii ablatum. 43.

T

TAurus e Luna cœlo demiſſus in Cretam. 29.
Taurum in Cretam Neptunus immittit. 28.
Thyrſi Bacchici deſcriptio. 40.
Tripodis formæ variæ. 3.
Tripodis deſcriptio, & de eo opiniones variæ. 3.
Tripus plicatilis in Muſeo Capitolino. 3
Tripus plicatilis in Muſeo Kirkeriano. 3.
Triremium ſupplicium conſtitutum in reos capitalis reos etiam a veteribus Romanis. 62.

V

VErtumni etymon. 91.
Vertumni ſignum in Vico Thurario. 90.
Vertumni Simulacrorum formæ variæ. 92.
Vertumnus, & Janus negotiatorum præſides. 91.
Vertumnus, & Seotinus Dii obſcuriſſimi. 92.
Vertumnus Volſinus. 90.
Veneres quatuor. 15.
Vici Thurarius, ſive Jugarius, & Thuſcus. 90.
Victoria alata, quando eſſe cœperit. 67
Urſi in Spectaculis. 93.
Urſorum cibus. 93.

FINIS.

5 - 26
Z M1